BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
42
2 G
28

Google

P. Livini ad simpliciter usum 1848

BREVIS EXPOSITIO

PROPOSITIONUM DAMNATARUM.

In qua variæ quæſtiones à probatis DD. fusè enarratæ, juxta Summorum Pontificum Decreta, brevi metodo, ordineque alphabetico diſpoſitæ reſolvuntur.

A P. F. Didaco Duarte ab Aragonia Ord. Min. Reformatorum S Franciſci, Receſſus Provinciæ Romanæ Alumno, ac SS. D. N. Papæ in Sacroſancta Lateranenſi Baſilica Pœnitentiario.

Opus nedum Confeſſariis, verùm etiam Pœnitentibus perutile ac fructuoſum.



VENETIIS, MDCCXIX.

Apud Antonium Groppum in Via Mercatoria ſub Signo Fortunæ Generoſæ.

Superiorum permiſſu, ac Privilegio.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præſuli

JOANNI CORNELIO.

Baſilicæ D. Marci Primicerio Meritiſſimo.

CUI magis, quàm tibi, Illuſtriſſime ac Reverendiſs. Præſul, animi mei

vota ſisterem, quemque magis in evulgando hoc opere patronum, ac Mæcenatem nuncuparem diù, multumque quærenti invenire non fuit, tria etenim in uno, eodemque Patrono, ac Mæcenate quærebam, nobilitatem Generis, ut alta qua polleret indole, benigno ſaltem, operam meam proſequeretur aſſenſu: non vulgarem Theologicæ facultatis peritiam, ut operi plurimum adderet dignitatis; Eccleſiaſticam demum facultatem, ut ad inferendam ſibi ſubditis vel apprimè neceſſariam ſcientiam, quæ in hoc opere continetur, ſtimulos adderet accerrimos, hæc omnia in aliis ſperare facile erat, non ita tamen facile ut in te uno invenire, etenim nobìlitatem Generis ſpectanti mihi occurrunt inſignia CORNELIÆ domus monumenta, quibus cùm vel perantiquæ ſuperbiant hiſtoriæ imbecilitatem meam à detrahentis injuria, vultum verò tuum à pudore quo in laudes quam tuas, quam

quam Familiæ audiendas ſuffunditur feliciter eximunt, mitto igitur romanam, venetamque, tuam ſcilicet, Avorum ſeriem, Heroum nempe, qui armis, literis, purpura, Thiaris, aut toga inſignes illuſtrem non vetuſtate minus, quàm morum nobilitate ſanguinem in te derivarunt; hoc unum contentus de te dicere, quod morum ſuavitate, ac tua in omnes benignitate familiam adæques, & quod magis eſt optabile, vincas. *Ex quo ſane fit, ut non dubius patrocinii in me tui ad te accedam. Eſt tamen & alia ratio cur patrocinio tuò brevis hæc demandetur damnatarum propoſitionum Expoſitio, ampliſſima ſcilicèt penitioris Theologicæ quin imò cujuſvis diſciplinæ facultas, præcipuè verà utriuſque Juris, cujus lauream in Patavina Univerſitate aſſecutus admiratione non minus, quàm ambitioſo omnium plauſu feciſti ut, plus illa ti-*

bi deberet , quàm quod tu illi . Hinc ſanè ambigendum non eſt quid cauſæ fuerit , cur excellentiſſimorum Senatorum cumulatiſſima vota fueris expertus , cùm de ſacræ Romanæ Rotæ Auditore Pontifici proponendo ageretur , hoc benignitati tuæ , morumque , ſuavitati , ſed magis ſapientiæ adſcribendum , quippe quæ in difficilimis Romanæ Curiæ negotiis pertractandis ſumma votorum eſt , hæc te ad altiſſimum honoris faſtigium eriget , hæc parem tibi fortunam aut inveniet , aut faciet , & ſane ſi ſcrutatorem oculum in te conjicere velimus agnoſcimus te propediem avaſurum in eum virum , cui parem priſcis ſeculis videre , majorem certe ſperare non licuit . Scio profectò hæc moderationi tuæ ingrata fore , ſed ſi talis , tantuſque non eſſes , talia nec de te dicere auderem : oportet ſi quidem , quod vel laudari non mereatur qui laudari non patitur ,

tur ,

tur , vel laudari patiatur , qui laudari meretur , alia tamen , ut & animi tui , ope qua poſſum , moderationi conſulam prætermitto quamplurima , & ad principem inter ſacras D. Marci dignitatem in te à Sereniſs. regnante Duce JOANNE CORNELIO avo tuo , nullo jure ſanguinis , ſed ſolo virtutis merito inſpecto colatam , quod poſtremum mihi , eſt , devenio , hæc ſane potiſſima ratio eſt cur te Patronum non tam expoſtulem , quàm exigam , etenim cum ſapientiſſimus auctor in promulgando hoc opere plurimùm claritate non minus , quàm brevitate , juventutis profectui ſtuduerit , cumque facultas tibi ſit , ſummaque voluptas alios ad Catholicæ Fidei inconcuſſa dogmata dignoſcenda extimulare , Alumnos præcipue tuæ dictioni addictos , dignitate , qua fulges , ope maxima juvare potes . Ità ſane Auctoris mens , & offerentis obſequium fine ſuo non

fru-

fruſtrabitur hæc omnia, ut vides, me jure optimo impulerent, ut tibi munus hoc, quantulumcumque ſit, devoverem. Quibus accedit, quòd cùm ſumma tibi ſit ut ita dicam, reverentia erga optime meritos de Catholica Eccleſia, ac de literaria Republica P. P. Societatis Jeſu, ſpecialiſſimo quoddam jure opuſculum hoc tibi debetur quod ſumma videatur eſſe, imò ipſiſſima verba (excepto alphabetico ordine per quæſita digeſto) Theologicæ Trutine à P. Dominico Viva Societatis ejuſdem tanta Theologorum omnium approbatione typi demandatæ. Vides profectò nunc quotuplici jure te Patronum, te Mæcenatem appellem, reliquum modo eſt, ut benigno, tuo ſcilicèt, vultu me excipias, atque inter res tuas nunc primùm ennumerando, aſſiduo me ab æmulorum morſibus patrocinio tuearis. Vive igitur ad grande Familiæ tuæ incrementum,

ad

ad maximum Reipublicæ decus, ad Purpuræ non dubiam ſpem, & ad cunctorum utilitatem Vive, & Vale.

Humiliſs. & Addictiſs. Famulus

Antonius Groppo.

LE-

LECTORI BENEVOLO.

QVantum hujus brevis expoſitionis materia (humaniſſime lector) præceteris omnibus utilis, ac præcipuè animarum curam habentibus neceſſaria ſit, quotidiana ipſa experientia demonſtrat; de qua licet plures clariſſimi viri doctiſſimè ſcripſerint, neminem tamen ex tot doctiſſimis compendiosè, & ad uſum praxis, ſed potius ſcholaſticè ſcripſiſſe, vidi; cùm igitur nonnunquàm animadverterem, errores quamplures in adminiſtrationes Sacramentis Pœnitentiæ à confeſſariis comitti, proprium munus vel cum rigore nimio, aut cum nimia laxitate exercentibus, non ſine innumerabilium animarum, ac ipſorum Miniſtrorum ruina lacrimabilis, eo quod ii immemores fortè ſententiæ Oſeæ cap. 4. repellant ſcientiam, quæ Sacerdotis muneri in eo Sacramento

ritè

ritè obeundo eſt maximè neceſſa-
ria , præſertim earum opinio-
num , quæ Pontificiis decretis
manifeſtè adverſantur ; idcirco
ope ęprætium putavi varias reſo-
lutiones juxta decreta Sum. Pon-
tificum Alexand. VII. Innoc. XI.
ac Alex. VIII. communi utilitati
proponere, ne deinceps per vaga
ſcribentium volumina perquire-
re,ac divagari neceſſe ſit; quod ſi
quid in hoc opuſculo utilitatis re-
perias, id omne Deo, à quo cun-
cta bona procedunt, acceptum
referas, ſi autem aliqua offen-
deris, oro, benignè corrigas ;
ſiquidem & tuæ, & Sacroſanctæ
in primis Romanæ Eccleſiæ cen-
ſuræ libens hæc ſcripta ſubjicio :
Vale.

NOI

NOI REFORMATORI.
Dello Studio di Padoa,

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbazione del p. Frà Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato *Brevis Expoſitio Propoſitionum ab Alex. VII. Innoc. XI. ac Alex. VIII. reſpectivè damnatarum*, non v' eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Antonio Groppo Stampator, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 30. Giugno 1716.

(*Gierolamo Venier Kav. Proc. Ref.*
(
(*Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Ref.*

Aſtoſtino Gadaldini Segr.

BREVIS EXPOSITIO PROPOSITIONUM

Ab Alex. VII. Innoc. XI. ac Alex. VIII.

Reſpectivè damnatarum.

ABORTUS.

QUÆRITUR. An liceat procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia tam dicitur homicidii reus, qui procurat abortum fœtus animati, quàm qui inanimati, non quia in hoc ſecundo caſu vitam homini adimat, ſed quia proximè, & immediatè vitam hominis impedit; homicidium autem ob nullum metum cohoneſtari poteſt, quamvis enim poſſit quis cum moderamine inculpatæ tutelæ invaſorem occidere, non poteſt tamen homicidium committere, ne ipſe ab alio occidatur; ergo non poteſt, procurari abortus, etiam ante animationem fœtus ob vitam Matris, vel honorem tuendum; quod manifeſtè patet ex *propoſitione* 34. *inter damnatas ab Innoc. XI.*

2 Quæritur. An ſit probabile, eſſe licitam fœtus inanimati expulſionem propter ſanitatem tuendam?

Reſp. Plures D. D. Docent; licitum eſſe procurare directè expulſionem fœtus inanimi, quando ipſe fœtus affert Matri periculum mortis ex puerperio, ita ut Mater periclitetur de vita, niſi expellatur fœtus; ſicut autem cum moderamine inculpatæ tutelæ licitum eſt invaſorem injuſtum occidere (immò etiam innocentem invaſorem, puta furioſum, aut amentem) ſi aliter mors declinari non poſſit, ita cum eodem moderamine licitum eſt fœtum inanimum expellere, tanquam Matris invaſorem: oppoſitum tamen eſt probabilius; fœtum verò animatum nullo modo licet expellere.

3. Quæritur. An Monialis licitè poſſit procurare expulſionem fœtus inanimati ad vitandam infamiam ſuæ communitatis?

Reſp. Negativè; ratio eſt, quia ad vitandam infamiam coram ſæcularibus ſunt alia media, ſcilicet præcipiendo in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub cenſuris obſervationem ſecreti; ſimiliter neque ad vitandam infamiam familiæ nobilis id eſt licitum; cum enim ſit intrinceſcè malum, non ſecus, ac aliquem occidere non invaſorem, aut pollutionem procurare, ſequitur, quod nulla omnino ex cauſa cohoneſtari poſſit.

4. Quæritur. An liceat procurare abortum fœtus inanimi pharmaco aliquo indirecto ad vitandam infamiam vel mortem prægnantis?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia ſivè expellatur fœtus pharmaco directè intendente ejus expulſionem, ſivè pharmaco intendente directè ſalutem prægnantis, & indirectè expulſionem fœtus, ſemper eſt intrinſecè

ſecè malum, quando non periclitatur alioqui vita prægnantis; hinc ſicut poni nequit cauſa per accidens pollutionis ex intentione, quod ea ſequatur, ita poni nequit cauſa per accidens abortus ex intentione, quod ſequatur, quando non ſe habet fœtus, ut invaſor vitæ Matris.

5. Quæritur. An liceat aliquando hominis conceptionem impedire?

Reſp. Non licere quacumque ex cauſa impedire hominis Conceptionem, quod ſi Mulier prudenter timeat ſibi mortem imminere ex partu, tunc non tenetur reddere debitum coniugi, non poteſt tamen eo animo debitum reddere, ut poſtea conceptionem impediat.

6. Quæritur. An fœmina omninò in vita, & inculpabiliter facta prægnans licitè poſſit ad vitandam infamiam, vel mortem expellere fœtum inanimatum?

Reſp. Nullatenus poſſe, quia id eſt intrinſecè malum, poterit ad ſummum continuò ſemen expellere, tanquam injuſtum aggreſſorem caſtitatis, ad mortem, vel infamiam vitandam, at poſtea expelli non poterit, ſicut nec fœtus, ad eum modum, quo poteſt continuò injuſtus invaſor occidi cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſed poſt injuſtam invaſionem non licet, quia hæc non eſſet defenſio, ſed ultio.

7. Quæritur. An prægnans procurans abortum incidat in excommunicationem latam per Sixtum V. contra procurantes abortum?

Reſp. Communiſſimè D. D. id affirmant, quia Bulla loquitur de omnibus, qui quomodo cumque ope, conſilio, vel alia ratio-

tione, ſivè per ſe, ſivè per alios ad abortum concurrerint: Notandum tamen Gregorium XIV. voluiſſe hanc excommunicationem incurri ſolùm propter abortum fœtus animati, effectu ſecuto; ita tamen, ut à Confeſſario approbato ad id ſpecialiter deputato ab Ordinario; Romæ verò à quolibet Confeſſario privilegiato ibi approbato poſſit abſolvi.

8. Quod autem attinet ad irregularitatem, quæ ex procuratione abortus fœtus animati effectu ſecuto incurritur, dicendum quod in dubio fuerit necnè animatus, ea incurritur, ut docent comm. D. D. contra nonnullos, ſicut etiam in dubio, num medium certò adhibitum fuerit cauſa abortus, an verò aliundè abortus evenerit; ratio eſt, quia etiam in dubio homicidii incurritur irregularitas; cum autem D. D. comm. doceant, & marem die 40. animari, & fœminam die 80. non eſt cenſendus irregularis, qui ante hos dies abortum procuraverit; ſi tamen procurato abortu poſt quadrageſſimam diem dubitetur, num fœtus ſit maſculus, an fœmina, præſumendum eſſe maſculum, & irregularitatem incurri, prout ſervat ſacra Pœnitentiaria, ac propterea ex procuratione talis abortus, effectu ſecuto, incurritur etiam privatio Beneficii, ac Dignitatis, & inhabilitas ad ea obtinenda citra diſpenſationem Sedis Apoſtolicæ.

9. Quæritur. An ſit probabile, fœtum non animari anima rationali, antequam in lucem edatur?

Reſp. Eſſe omninò improbabile, ratio eſt, quia arbitrarie dicitur infundi anima rationalis in fœtu, dum editur, nam vel re-

requiri debet, quod fœtus ſit diſpoſitus ad operationes diſcurſivas ad hoc, ut poſſit ininformari anima rationali, & ſic circa ſeptennium ætatis infunderetur, vel id non requiritur, & negari debet in fœtu ſucceſſio animarum, & proinde ſemper, ac ille vegetatur, ac movetur, informatur anima rationali; experientiâ autem prægnantium conſtat fœtus in utero antequam edantur, moveri; ergo antequam edantur habent animam rationalem; propterea Rituale Romanum præcepit, *ut ſi fœtus abortivè editus moveatur, abſolutè & ſine conditione baptizetur*, quia ſupponit, motum illum unicè eſſe ab anima rationali; id etiam conſtat ex ſcripturis; & manifeſtè ex *propoſitione 35. inter proſcriptas ab Innoc. XI.*

10. Ex dictis ſequitur, procurantem abortum nunquam ab homicidio excuſari, quoties eſt ſolum probabile, quod fœtus non ſit animatus; excuſatur tamen, ſi id ſit moraliter certum, ſeu probabiliſſimum, ſicut univerſim licitum eſt ſequi opinionem probabiliſſimam, ſeù moraliter certam *ex propoſitione 3. damnata ab Alex. VIII.* Quarè cum moraliter certum exiſtimetur nullum fœtum animari ante diem quadrageſimum, hinc non dicitur homicidii reus, nec irregularitatem incurrit, qui ante hunc diem abortum procuraverit, quod ſi poſt diem quadrageſimum, ſed ante octogeſimum (quando cenſetur animari fœtus fœmineus) procuretur abortus, peccatum homicidii non declinatur, quia cum ignoretur, num fœtus ſit mas, an fœmina, procurans abortum exponit ſe periculo expellendi fœtum maſculinum, atque adeo com-

mittendi homicidium; verumtamen eſt, quod ſi deindè fœtus deprehendatur eſſe fœmineus, irregularitas non incurratur, quia hæc pœna non incurritur ob peccatum homicidii, niſi homicidio jam ſecuto; in dubio autem, num fœtus ille fuerit mas, an fœmina, irregularitas incurritur.

ABSOLUTIO.

11. QUæritur. Quænam ex verbis abſolutionis: *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, pertineant ad eſſentiam formæ, & ſint neceſſaria ad valorem ſacramenti?

Reſp. Quamvis D. D. inter ſe pugnent, & alii ſcripſerint, hæc verba: *à peccatis tuis*, eſſe ſolum de neceſſitate præcepti, & ad eſſentiam formæ non ſpectare, ac ſufficere doceant iſta: *abſolvo te*: tamen negari non poteſt major probabilitas ſententiæ dicentis, verba illa: *à peccatis tuis*: ſpectare quoque ad eſſentiam formæ, nam ea eſt plurium opinio, & colligi videtur *ex Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 3. Maximè, quia illa verba: *abſolvo te*: ſunt indifferentia ad abſolutionem *à peccatis*, & *cenſuris*: ergo ut ſignificent determinatè abſolutionem *à peccatis*, debent determinari per hæc: *à peccatis tuis*: cum itaque tutior ſit iſta ſententia, proculdubio qui ea omittit, exponit Sacramentum periculo nullitatis, quia dum agitur de Sacramentorum valore, ſemper ſunt tutiora ſequenda juxta decretum *Innoc. XI. damnantis prop.* 1.

12. Quæritur. An abſolutio à peccatis poſſit conferri abſenti, qui per Epiſtolam,

vel

vel per nuncium confiteretur?

Reſp. Negativè cum comm. Teologorum, ut expreſsè *Clemens VIII. in ſuo decreto edito 16. Junii* 1602. in quo damnavit opinionem aſſerentium, licere per litteras, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere; & ſub excomm. ipſo facto incurrenda Romano Pontifici reſervata prohibuit, ne ullus deinceps talem propoſitionem, tanquam in aliquo caſu probabilem defenderet, doceret, imprimeret, aut in praxim aliquo modo deduceret. Contra verò abſolutio à cenſuris poteſt abſenti conferri, ſivè per litteras, ſivè per nuncium, aut alio facto, quo exprimeretur intentio abſolvendi, prout patet ex reſcriptis, & Bullis Pontificum ad aliquos directis; ratio eſt, quia excommunicatio eſt pœna Eccleſiaſtica, quæ etiam abſenti infligi poteſt, ergo etiam remitti.

13. Quæritur. Quibus ſit neganda, & quibus differenda abſolutio?

Reſp. Judicium ſuper hoc relinquitur prudentiæ Confeſſarii juxta occurrentes circumſtantias, ſed neganda eſt, vel differenda indiſpoſitis, & accedentibus non præmiſſo examine conſcientiæ; non habentibus propoſitum non peccandi de cætero, nec contritionem, vel attritionem ſupernaturalem de peccatis; nec volentibus obedire Confeſſario præſcribenti remedia, ne relabantur; ignorantibus myſteria, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii; negligentibus addiſcere neceſſaria neceſſitate præcepti; non reſtituentibus, dum reſtituere valent; exiſtentibus in occaſione proxima peccan-

di juxta dicenda *V. Occaſio proxima*; item caſu aliquo, vel excommunicatione reſervata ligatis; item cum nulla eſt ſpes emendationis &c. Vide *V. Conſuetudo* Ponderent igitur Confeſſarii, ſciantque abſolutiones inconſideratè, & nimia facilitate indignis collatas, nutrire pœnitentes in peccatis.

14. Quæritur. An Prælati Regulares poſſint in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia privilegia Prælatis Regularibus à Summis Pontificibus ad id conceſſa fuerunt revocata, ut conſtat *ex propoſitione 4. inter damnatas ab Alexandro VII.* & licèt per ejuſdem decretum nec expreſsè, nec virtualiter proſcripta maneat opinio multorum aſſerentium, poſſe Prælatos abſolvere ſubditos ſuos in dicto foro ab ea hæreſi; nihilominus tamen tenendum eſt, quod non poſſint, quia *per Tribunal S. Inquiſitionis, ac per S. Congr. 17. Novembris 1628. eſt eis prohibitum.*

15. Quæritur. An Sacramentalis ſatisfactio debeat ex Chriſti inſtitutione præire abſolutionem, natura rei ad ipſum dictante; & an per illam praxim abſolvendi pœnitentes, antequam ſatisfactionem impleverint, ordo pœnitentiæ ſit inverſus?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia neque ſatisfactio ex Criſti inſtitutione, ac præſcripto præmitti debet abſolutioni, neque ex ipſa natura ſacramenti pœnitentiæ inſtituti per modum judicii, neque ex ipſa natura rei (quamvis alioquin poſſit) pœnitentia ante abſolutionem impleri; ergo quamvis Eccleſia conſueverit aliquando abſolutionem Canoni-

nonicam, ac pro foro externo (qua pœnitentes abſolvebantur à reſiduis pœnis Canonicis, & publicis, nec non ab impedimento accedendi ad ſacram menſam, unde per illam dicebantur reconciliari Eccleſiæ, & Sacro Altari) poſt executionem pœnitentiæ conferre; abſolutio tamen Sacramentalis, ac pro foro interno non debet poſt pœnitentiam conferri; quia ſolùm contritio, & confeſſio requiruntur tanquam partes eſſentiales ad Sacramentum pœnitentiæ, ſatisfactio verò requiritur tanquam pars integralis, ſine qua eſſentia Sacramenti, ejuſque præcipuus effectus, nempè peccati remiſſio haberi poteſt, quod ex eo fit perſpicuum, quia hoc Sacramentum conferri poteſt, etiam iis, qui ſenſibus deſtituti nullam poſſunt ſatisfactionem ponere; ergo inſtitutio Chriſti non fert, quod ſatisfactio eſſentialiter ad abſolutionem præmittatur; neque id poſtulat natura ſacramenti hujus inſtituti per modum judicii, ſicut enim in judicio humano executio pœnæ conſequitur ad ſententiam, ita in judicio Sacramentali connaturaliter conſequitur ſatisfactio, atque adeò praxis Eccleſiæ præſens abſolvendi ante ſatisfactionem impletam non invertit ordinem pœnitentiæ, ſed ſervat ordinem à Chriſto Domino inſtitutum conſonum næturis rerum, ut patet *ex propoſitione* 16. *inter damnatas ab Alexandro VIII.* neque conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem ſacramenti pœnitentiæ, tam in abſolvendo pœnitentes ſtatim ante pœnitentiam impletam, quàm in conferendo abſolutionem paſſim pro venialibus pro abuſu habetur ab Eccleſia, ut falsò docet *propoſitio* 18. *ab eadem Pontifice damnata*.

16. QUæritur. An ſit probabile, quod omnis actio humana, quæ non eſt dilectio Dei, ſit mala, & quod non poſſit elici opus bonum ſine charitate, & gratia juſtificante?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia *Tridentinum ſeſſ. 6. can. 7.* definit, quod fides, ſpes, & timor, quæ præcedunt juſtificationem non ſunt peccata, ſed actus boni ſunt, eliciti ex divina gratia, diſponentes ad remiſſionem peccatorum, & gratiam juſtificationis, at non ſunt charitas Patris, quia fides, & timor formaliter non ſunt dilectio actualis, nec à charitate procedunt, quia ipſis peccator ad charitatem Patris diſponitur, nec ſunt concupiſcentia carnis, aliàs ad juſtificationem non diſponerent; ergo falſum eſt omnem humanam operationem, quæ non eſt dilectio Dei, eſſe malam, & conſequenter falſum, quod non poſſit elici opus bonum ſine charitate, & gratia juſtificante. quis enim neget, peccatorem fidelem, & infidelem bene operari, ſi orationibus, & jejuniis inſtet coram Deo, orans, ut in viam ſalutis dirigatur, ſi credat, ſperet, & ex metu gehennæ de peccatis doleat? qui omnes actus, nec Charitas Patris ſunt, nec concupiſcentia carnis, ut conſtat *ex propoſitione 7. inter proſcriptas ab Alex. VIII.*

ADULTERIUM.

17. QUæritur. An Uxor committat adulterium conſentiente Marito in illud delictum?

Reſp.

Reſp. Affirmativè juxta decretum *Inn. XI. damnantis propoſitionem* 50. ſicut etiam talem exceſſum committit Maritus conſentiente Uxore, quia *ex Apoſtolo ad Romanos* 7. *& ex Angelico* 22. *quæſt.* 154. *art.* 8. ad contrahendam malitiam adulterii, nihil aliud requiritur, quam acceſſus ad alienum thorum, cum Maritus non poſſit cedere juri, quod habet, ne uxor alteri carnaliter commiſceatur, vel è converſo; nec obſtat *regula* 27. *juris in* 6. *ſcienti, & conſentienti non fit iniuria, nec dolus*, quia id intelligendum eſt in iis quorum homo eſt dominus ſecundùm libitum ſuæ voluntatis, ut ſunt bona fortunæ, & non in his, quæ, etſi noſtra ſint, non tamen poſſumus de illis ordinare, ut nobis placet, ut patet in naturalibus, nam licèt manus tua ſit tua, non propterea poteſt de conſenſu tuo ſine tua iniuria à te tolli; eſt in Marito jus utendi uxore ſua juxta leges Matrimonii, ſed non eſt dominus tradendi alteri uſum corporis illius.

18. Quæritur. An Uxoratus habens copulam carnalem cum coniugata unum, aut duplex adulterium committat?

Reſp. Duplex; utrumque in Confeſſione explicandum, quia duobus iniuriam facit, & propriæ uxori, & Marito coniugatæ, cum qua peccavit.

19. Quæritur. An adulterium fidelium ſpecialem malitiam habeat?

Reſp. Affirmativè, nam præter ſpeciem peccati contra caſtitatem, eſt etiam alia ſpecies contra fidem matrimonii, ſeu contra juſtitiam.

20. Quæritur. An in adulterio coniugatæ, quod committitur, viro invito, ſit alia

ſpecies peccati, quæ non reperitur, cum ſit de conſenſu viri?

Reſp. Probabilius eſſe, non dari tertiam aliam ſpeciem iniuſtitiæ, ut aliqui docent.

21. Quæritur. An liceat Marito uxorem in adulterio deprehenſam, vel adulterum occidere?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia non poteſt occidi malefactor, niſi juris ordine ſervato, nec exponi periculo damnationis æternæ; ſequeretur autem utrumque, ſi interficeretur adultera, vel adulter in delicto deprehenſus, & quamvis leges civiles ſimiles occiſiones permittant, nec puniant propter exceſſum doloris, & iræ, hinc tamen non ſequitur eſſe licitum quantum ad legem Canonicam, & conſcientiæ, idem dic de patre occidente filiam fornicantem &c. quod manifeſtè conſtat *ex propoſitione 19. inter damnatas ab Alex. VII.*

22. Quæritur. An ſi Maritus ſit Judex poſſit interficere uxorem in adulterio deprehenſam?

Reſp. Non poſſe, quia ipſe etiam debet ſervare juris ordinem, antequam damnet, nam ſicut Judex ſupremus ante examen, & ſententiam non poteſt committere Marito, quod uxorem adulteram interficiat, ita nec poteſt ipſe ſuam uxorem occidere non ſervato juris ordine.

23. Quæritur. An Maritus occidens uxorem, aut adulterum ad reſtitutionem damnorum teneatur?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia hæc obligatio non conſequitur ex lege humana, ſed ex præcepto juſtitiæ, atque adeò ex

lege

lege naturali; hinc quia verè graviter in eo homicidio peccavit, quamvis excuſetur ab excommunicatione, ſi adulter occiſus ſit Clericus, aut ab alia pœna legiſlatoris humani, non excuſatur tamen ab onere reſtituendi; quod ſi paſſione turbatus citra plenam libertatem, atque adeò citra mortale commiſit homicidium, tunc immunis erit ab hoc onere, quod cum ſit grave, non niſi ad culpam gravem conſequitur.

24. Quæritur. An pro iniuria, & dedecore in Maritum redundante ex adulterio coniugis, debeat ab adulteris aliquid reſtitui?

Reſp. Si adulterium ſit notorium debent veniam ab ipſo petere, & honorem coram aliis exhibere in compenſationem contemptus; ſi verò ſit occultum tenentur majora obſequii ſigna oſtendere in ſatisfactionem iniuriæ, ita ut non poſſit in cognitionem criminis deveniri.

25. Queritur. An uxor, & adulter poſſint licitè, ſe defendere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere Maritum, à quo iniuſtè invaduntur?

Reſp. Poſſe, ratio eſt, quia ex quo adulteri dent operam rei illicitæ, ob quam invaduntur, non confertur Marito jus eos occidendi, nec ipſi privantur jure ſe defendendi contra iniuſtum aggreſſorem, eumque cum dicto moderamine occidendi, nam in ordine ad eam occiſionem conſiderantur innocentes; ex adulterio ſolus Princeps acquirit jus, ut illud punire valear.

AT-

ſpecies peccati, quæ non reperitur, cum ſit de conſenſu viri?

Reſp. Probabilius eſſe, non dari tertiam aliam ſpeciem iniuſtitiæ, ut aliqui docent.

21. Quæritur. An liceat Marito uxorem in adulterio deprehenſam, vel adulterum occidere?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia non poteſt occidi malefactor, niſi juris ordine ſervato, nec exponi periculo damnationis æternæ; ſequeretur autem utrumque, ſi interficeretur adultera, vel adulter in delicto deprehenſus, & quamvis leges civiles ſimiles occiſiones permittant, nec puniant propter exceſſum doloris, & iræ, hinc tamen non ſequitur eſſe licitum quantum ad legem Canonicam, & conſcientiæ, idem dic de patre occidente filiam fornicantem &c. quod manifeſtè conſtat *ex propoſitione 19. inter damnatas ab Alex. VII.*

22. Quæritur. An ſi Maritus ſit Judex poſſit interficere uxorem in adulterio deprehenſam?

Reſp. Non poſſe, quia ipſe etiam debet ſervare juris ordinem, antequam damnet, nam ſicut Judex ſupremus ante examen, & ſententiam non poteſt committere Marito, quod uxorem adulteram interficiat, ita nec poteſt ipſe ſuam uxorem occidere non ſervato juris ordine.

23. Quæritur. An Maritus occidens uxorem, aut adulterum ad reſtitutionem damnorum teneatur?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia hæc obligatio non conſequitur ex lege humana, ſed ex præcepto juſtitiæ, atque adeò ex

lege

lege naturali; hinc quia verè graviter in eo homicidio peccavit, quamvis excuſetur ab excommunicatione, ſi adulter occiſus ſit Clericus, aut ab alia pœna legislatoris humani, non excuſatur tamen ab onere reſtituendi; quod ſi paſſione turbatus citra plenam libertatem, atque adeò citra mortale commiſit homicidium, tunc immunis erit ab hoc onere, quod cum ſit grave, non niſi ad culpam gravem conſequitur.

24. Quæritur. An pro iniuria, & dedecore in Maritum redundante ex adulterio coniugis, debeat ab adulteris aliquid reſtitui?

Reſp. Si adulterium ſit notorium debent veniam ab ipſo petere, & honorem coram aliis exhibere in compenſationem contemptus; ſi verò ſit occultum tenentur maiora obſequii ſigna oſtendere in ſatisfactionem iniuriæ, ita ut non poſſit in cognitionem criminis deveniri.

25. Quęritur. An uxor, & adulter poſſint licitè, ſe defendere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere Maritum, à quo iniuſtè invaduntur?

Reſp. Poſſe, ratio eſt, quia ex quo adulteri dent operam rei illicitæ, ob quam invaduntur, non confertur Marito jus eos occidendi, nec ipſi privantur jure ſe defendendi contra iniuſtum aggreſſorem, eumque cum dicto moderamine occidendi, nam in ordine ad eam occiſionem conſiderantur innocentes; ex adulterio ſolus Princeps acquirit jus, ut illud punire valeat.

AT-

26. Quæritur. An ſit damnata illa opinio, quæ docet, poſſe in Confeſſione uti attritione ex timore pœnarum temporalium, quæ à Deo tamquam à delectorum vindice infliguntur?

Reſp. Talis opinio ſpeculativè ſumpta, quatenus docet, validum eſſe illud ſacramentum non compræhenditur ſub *propoſitione prima inter damnatas ab Innoc. XI.* quia in ea non damnantur opiniones ſpeculativæ circa valorem Sacramenti; ſi verò hæc ſententia doceat, eſſe licitum deducere in praxim id genus attritionis cum advertentia, ſubjacet damnationi, quia eſt minus tuta, & verſatur circa valorem Sacramenti; quod ſi bona fide pœnitens confeſſus eſt peccata ſua cum ea ſola attritione, non tenetur poſtea repetere illam Confeſſionem, quia quando probabile eſt, feciſſe bonam Confeſſionem, non tenetur illam repetere.

27. Quæritur. An ad valorem, & effectum ſacramenti pœnitentiæ conſequendum ſufficiat attritio naturalis?

Reſp. Cum attritio naturalis ſit illa, quæ elicitur ex motivo non ſupernaturali, ſed pure humano, qualis eſt dolor de peccato: v. g. *ex timore infamiæ apud homines, & non ut reſpicit Deum tanquam ultorem peccati*, idcircò pars affirmativa eſt improbabilis, ac damnata *ab Innoc. XI. cum propoſitione* 57. tam quoad pœnitentiam, quam quoad baptiſmum in adulto, ut conſtat *ex Tridet. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. quia attritio merè naturalis, etiam honeſta nequit eſſe pars eſſentialis

ſacra-

ſacramenti pœnitentiæ, cum nec ad fructum, nec ad valorem illius ſufficiat.

28. Quæritur. An peccet, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem; & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo reſpectu ad Deum offenſum?

Reſp. Negativè, immò verò honeſtè operatur, qui odio habet peccatum ob ejus turpitudinem, quamvis hic actus non procedat ex motivo charitatis, nec dicat reſpectum ad Deum offenſum, ratio eſt, quia *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.* 4. definit, hujuſmodi odium peccati; ſeu attritionem ex turpitudinis peccati conſideratione conceptam, non ſecus ac attritionem conceptam ex pœnarum metu: *Non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum*: quod autem loquatur de attritione elicita non ex motivo charitatis, conſtat ex his verbis ſequentibus: *Et quamvis ſine ſacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Ergo non ſolùm non peccat, ſed honeſtè operatur, qui odio habet peccatum præciſè ob ejus turpitudinem, quamvis requiratur, quod hujuſmodi odium procedat ex hoc motivo turpitudinis, ut lumine fidei cognito, atque adeo quod procedat ex comprincipio ſupernaturali, ut ſit ſupernaturale, & poſſit dici antonomaſtice Dei donum; & Spiritus Sancti impulſus, & ut poſſit ad gratiam impetrandam in ſacramento diſponere; cum non poſſit actus naturalis diſponere ad gratiam ſupernaturalem: *Perpende propoſitionem* 9. *inter*

tur damnatas ab Alexand. VIII.

29. Quæritur. An ſit verum, quod intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut cœleſtem obtineat gloriam, non ſit recta, nec Deo placens.

Reſp. Eſſe falſum, & *ab Alex. VIII. expreſsè damnatum cum propoſitione* 10. quia doctrina hæc deſcendit ex erroribus Calvini, & Lutheri, ille hæc habet: *Dei judicio nihil eſt ſincerum, nihil probum, niſi quòd ex perfecto ejus amore manat*; Lutherus verò: *Contritio, quæ paratur per amiſſionem æternæ gloriæ facit hypocritam, immò magis peccatorem*: adverſus utrumque definit *Trident. ſeſſ. 6. Canon.* 31. *Siquis dixerit: juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema ſit; & in cap.* 11. *ejuſdem ſeſſ.* dicitur: *Conſtat, eos orthodoxæ Religionis doctrinæ adverſari &c.* Neque dici poteſt, quod Trid. velit ſolùm non contineri peccata in operatione elicita intuitu mercedis, ſi ad gloriam Dei ea referatur, & ex amore benevolentię divinę merces quęratur; nam Trid. in Can. citato damnat hæreticos, qui aſſerebant, peccatum contineri, quando quis præcisè intuitu mercedis benè operatur; deindè quia paſſim Scripturæ, & S. Patres nos excitatos ad benè operandum volunt intuitu mercedis: *Apoc.* 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ* 1. *ad Cor.* 9. *omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. David Pſ.* 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem: Auguſt. in Pſ.* 120. *noli facere bonum opus, niſi propter vitam æternam, ideò fac, &*

ſecu-

ſecurus facies: denique ratione id evincitur; quia honeſtum, & Deo gratum eſt dolere de peccato, & legem ſervare ex metu gehennæ; ergo etiam intuitu mercedis, nam Deus hac de cauſa deſignavit, tam gehennam culpis; quàm cœleſtem beatitudinem bonis operationibus, ut illius formidine, & hujus ſpe ad culpas deteſtandas, & ad bonum proſequendum impelleremur, ergo iis mediis ad id adjuvari eſt honeſtiſſimum.

30. Ex dictis ſequitur 1. Falſum eſſe, quòd actus ſpei Theologicæ ad charitatem pertineat, cum objectum formale ſpei ſit Deus, ut bonus nobis; objectum verò formale charitatis ſit Deus, ut bonus in ſe; quòd conſtat, tum ex omnium Theologorum conſenſu, ac doctrina, tum ex Trid. loquente de ſpe, tanquam de virtute diſtincta, dicit enim *ſeſſ. 6. cap. 7. in juſtificatione ſimul hæc omnia accipit homo fidem, ſpem, & charitatem*; tum ex *Apoſt. 1. ad Cor. 13. Nunc manet fides ſpes, & charitas, tria hæc, major autem horum eſt charitas*; ubi comparat charitatem cùm ſpe tanqum cum virtute diſtincta, & oppoſitum eſt hæreticum.

31. Sequitur 2. Manifeſtè falſam eſſe propoſitionem decimam tertiam ab eodem Pontifice damnatam, quæ habet: *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur*. Ratio eſt, quia conſtat conſiſtere poſſe actum concupiſcentiæ, quo Deum nobis amamus per actum ſpei Theologicæ, non ſolum ſine actu charitatis, ſed etiam in peccatoribus carentibus gratia, & charitate habituali; quinimmò ſpem ipſam habituale m infuſam conſiſtere in peccatori-

ribus fidelibus, quoties peccatum non adverſatur ſpei, vel fidei, conſtans eſt Theologorum opinio: Quamvis enim *Tridentinum ſeſſ.6.cap.* 15. Solum dè fide habituali, non verò de ſpe explicitè dixerit, poſſe à charitate ſeparari, eo quod Deus ex ſua miſericordia velit peccatoribus relinquere fidem, quæ initium ſalutis eſt, ut poſſint per actus fidei ad reſurgendum diſponi; nihilominus communiter Theologi idem docent de ſpe, cum eodem *Trident. ſeſſ.6.c.6.* quod peccator per fidem, ſimul & ſpem ad juſtificationem diſponatur; quare non eſt peccaminoſa, ſed poteſt eſſe ſupernaturalis, & Theologica ſpes veniæ, ac eternæ beatitudinis, & actus concupiſcentiæ, quo Deum amamus ut bonum nobis, idque etiam in peccatore, cui proindè non vitio vertitur, ſed laudi, ex dictis, intuitu mercedis, præſertim æternæ Deo famulari, etiam ſi charitate careat, tum actuali, tum habituali.

32. Quæritur. An timor gehennæ ſit ſupernaturalis?

Reſp. Opinionem negativam damnavit *Alexander VIII. cum propoſitione* 14. Ratio eſt, quia ſæpè ſcripturæ homines ad ſervanda mandata, & ad pœnitentiam excitant timore gehennæ, ac pœnarum; ergo hujuſmodi timor eſt rectus, atque adeo cum procedat ex motivo lumine ſupernaturali cognito, eſt ſupernaturalis; antecedens patet, nam Lucæ 13. dicitur; *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; *Matth. 7. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*; & David Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas à judi-*

di-

dicis enim tuis timui, hinc *Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 8. anathematizat, qui dixerit: gehennæ metum, per quem ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere*: ſimiliter *ſeſſ. 14. Can. 5. anathematizat, qui dixerit, dolorem ex gehennæ metu conceptum non eſſe utilem; & ad gratiam non præparare; & cap. 4. hujuſmodi timorem idem Tridentinum*: appellat bonum motum, Dei donum, & Spiritus Sancti impulſum; ergo timor gehennæ, etiamſi ſit ſervilis, quo quis culpam fugit, ne pœnam incurrat, eſt bonus, ſi procedat, ut dictum eſt, ex motivo lumine ſupernaturali cognito.

33. Quæritur. Quotuplex ſit timor?

Reſp. Quadruplex: Filialis, initialis, ſervilis, & mundanus; mundanus timor dicitur, quo quis ob metum mali temporalis Deum deſerit; v. g. fidem negat, ne à Tyranno crucietur, hic timor proculdubio vitioſus eſt; Filialis dicitur, quo quis ad Deum, convertitur, & legi obtemperat ob culpæ timorem, filiorum quippè eſt timere offenſam Patris, & hic citra controverſiam eſt perfectus, ortumque ſuum habet à charitate, hinc inter ſeptem Spiritus Sancti dona enumeratur; Initialis eſt mixtus ex filiali, & ſervili, eoque quis fugit peccatum, & quia timet Deum offendere, & ab ipſo ſeparari, & quia timet pœnas gehennæ, undè importat quemdam actum charitatis imperfectæ quandoquidem juxta illud *Joan. 4. perfecta charitas foras mittit timorem*; ſervilis demum timor eſt, quo quis culpam fugit, ne incurrat pœnam, non quidem formaliter, ſcilicet eo affectu,

ut

ut culpam vellet, ſi pœna abeſſet, nam hujuſmodi timor imbibens amorem culpæ eſt peccaminoſus, & de hoc dicitur illud: *oderunt peccare mali formidine pœnæ*, ſed omninò præſcindendo ab eo, quod fieret, ſi pœna abeſſet, & cum procedat ex motivo lumine ſupernaturali cognito, erit bonus, & ſupernaturalis.

45. Quæritur. An attritio ex gehennæ, & pœnarum metu concepta ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, ſit bonus motus, ac ſupernaturalis?

Reſp. Affirmativè, cum oppoſitum ſit expreſsè damnatum *ab Alex. VIII. cum propoſitione* 15. eſt enim error affinis omninò præcedenti, quòd ſcilicèt timor gehennæ non ſit ſupernaturalis, quia ut conſtat ex ſuperius dictis, *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.* 4. docet, attritionem, quæ ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam eſſe donum Dei, ac Spiritus Sancti impulſum, & ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento pœnitentiæ diſponere, necnon eſſe bonum motum, ſine quo gratia in eo Sacramento non confertur: ergo *ex Tridentino* hujuſmodi attritio, non ſolùm eſt bonus motus, ſed etiam eſt ſupernaturalis, ſi concipiatur ex motivo per fidem propoſito, quin requiratur dilectio benevolentiæ Dei propter ſe, maximè quia non dilectio, ſed fides eſt principium ſupernaturalitatis?

35. Quæritur. An hujuſmodi attritio ex gehennæ, ſive pœnarũ metu concepta abſque ulla

nulla dilectione benevolentiæ Dei ſufficiat in Sacramento pœnitentiæ, tanquam ultima, & proxima diſpoſitio ad gratiam?

Reſp. Communior, ſententia docet, attritionem, ſecluſo quovis motivo charitatis, etiam putato, ſufficere; nam *ex Tridentino ſeſſ.* 14. *cap.* 4. hujuſmodi attritio ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit; nec poteſt hoc intelligi, ut contendunt multi de diſpoſitione remota, quia hanc habet attritio ſupernaturalis independenter à Sacramento pœnitentiæ, ergo intelligi debet de diſpoſitione proxima, quia aliter Sacramenta mortuorum inſtituta ad vivificandum, nunquam vivificarent; ſi ſemper ſupponerent contritionem, & gratiam, ſed neque requiritur, ut aliqui putant, quod attritioni annecti debeat aliqualis Dei dilectio, quia ſi hæc requireretur, ſemper haberetur juſtificatio ante Sacramentum pœnitentiæ, nam ſivè dilectio ſit debilis, hoc eſt remiſſa, ſivè ſit intenſa, ſemper ejuſdem ſpeciei eſt, unde ſemper ſufficit ad juſtificationem ante Sacramentum pœnitentiæ; nam certè ad perfectionem eſſentialem charitatis, & contritionis dolentis peccatum, & reatum æternæ damnationis non requiritur ullus determinatus gradus intenſionis ut docent communiſſimè cum Angelico *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. Sed ſufficit Dei dilectio, quæ ſolùm ſit ſuper omnia appretiativè, licèt non ſit ſuper omnia intenſivè; igitur ſi in attritione requiſita ad Sacramentum pœnitentiæ deberet includi aliqualis Dei dilectio ſuper omnia, licèt remiſſa, ac debilis, ſemper ante abſolutionem habere-

beretur juſtificatio, atque adeò ſententia iſta coincideret cum ſententia communiter. rejecta requirente in Sacramento pœnitentiæ contritionem.

36. Quæritur. An licitè poſſimus in Sacramento pœnitentiæ adhibere hujuſmodi attritionem ſupernaturalem conceptam ex puro metu gehennæ, & pœnarum cum propoſito non peccandi de cœtero, abſque ulla dilectione Dei?

Reſp. Licitum eſſe in Sacramento pœnitentiæ adhibere attritionem ſupernaturalem abſque alia dilectione Dei inchoatal, condiſtincta à voluntate reconciliandi ſe cum Deo, ab odio peccati, quamvis ex motivo pœnarum concepto, à propoſito non peccandi de cætero, & à ſpe de remiſſione obtinenda &c. Ratio eſt, quia in Sacramentis conferendis, quamvis illicitum ſit uti opinione probabili de illorum valore, omiſſa tutiore, non eſt tamen illicitum uti opinione tuta omiſſa tutiore, opinio enim tuta non ſubeſt morali periculo falſitatis, ſed periculo tantùm valdè remoto, quod cavere in humanis actionibus eſt moraliter impoſſibile, ac proinde ad illud cavendum non obligamur; ſed opinio de ſufficientia attritionis ex puro pœnarum metu conceptæ, eſt tuta, ſpectatis verbis, ac mente Tridentini, ſpectatis rationibus, ac ſpectata communiori Theologorum ſententia; igitur licite in Sacramento pœnitentiæ adhibetur attritio ex mero pœnarum metu concepta, cum ſit bonus motus, ac ſupernaturalis, ſi reguletur à fide.

37. Dices: Alexander VII. advertens, hinc indè acriter Theologos digladiari ſuper

per

per hac neceſſitate aliqualis amoris in attritione ad Sacramentum pœnitentiæ requiſita, vetuit, ne alterutra ex his opinionibus cenſuraretur; ergo non poſſumus licitè uti attritione abſque ulla dilectione Dei, omiſſa ſentẽtia requirente eam dilectionem?

Reſp. Summus Pontifex in ſuo decreto *die 5. Maii 1667.* edito; quod incipit: *SS. D. N. Cum accepiſſet &c.* Solùm decrevit, ne cenſura ulla inureretur alterutri ex opinionibus dictis, immò addidit, inter ſcholaſticos communiorem eſſe ſententiam non requirentem hujuſmodi amorem; & ſanè ſi ſententia hæc, quam Pontifex dicit eſſe communiorem, ſolùm eſſet probabilis, & non tuta proculdubio exponeretur periculo fruſtrationis Sacramentum, undè non liceret eam in praxim deducere; cum autem Pontifex ſententiam excludentem hanc neceſſitatem non ſolùm non damnaverit, ſed etiam dixerit, eam eſſe communiorem inter Scholaſticos, profectò videtur illam, ut tutam tolerare, atque adeo ſolùm ad diſſenſiones vitandas voluit vetare, nè alterutra ex ſententiis cenſura ulla notaretur.

BAPTISMUS.

38. Quæritur. An ſit licitum baptizare in minima parte corporis v. g. in digito, in capillis &c.

Reſp. Eſſe peccatum mortale ita baptizare extra neceſſitatem, quia hæc opinio eſt minus tuta circa valorem, ideoque non licet eam deducere in praxim; idem dicendum de baptiſmo infantis pelle ſecundina circumdati.

39. Quæ-

39. Quæritur. An liceat baptiſmum conferre in liquoribus ex herbis expreſſis, aqua ex ſale reſoluta, jaculo, lixivio &c.?

Reſp. Quamvis non improbabiliter opinentur aliqui, tales liquores non differre ſpecie ab aqua naturali, ideòque baptiſmum eſſe validum in his materiis collatum, tamen quia oppoſita ſententia eſt tutior, & verſatur circa valorem Sacramenti, erit grave peccatum miniſtrare baptiſmum in dictis materiis, extra neceſſitatem.

40. Quæritur. An in baptiſmo liceat uti forma tantùm probabili, ut v. g. baptizetur Petrus à Deo, vel ego te baptizo in nomine Chriſti, vel ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque?

Reſp. Graviter peccare miniſtrum, qui aliquo ex modis relatis proferret formam baptiſmi, quia opiniones oppoſitæ ſunt tutiores, & verſantur circa valorem Sacramenti.

41. Quæritur. An ad valorem baptiſmi requiratur contritio, vel ſaltem attritio?

Reſp. Neutram requiri, ad valorem, ad effectum verò Sacramenti requiritur attritio in adultis ratione utentibus.

42. Quæritur. An baptiſmus ſub hac forma collatus: In nomine Patris, & Fili, & Spiritus Sancti, prætermiſſis illis: Ego te baptizo; aliquando fuerit validus?

Reſp. Negativè, & primò conſtat *ex cap. quis. De bapeiſmo*, ubi Alexander III. hæc habet, *Si quis puerum in aqua immerſe-*

ſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non dixerit: Ego te baptizo, non eſt baptizatus. Conſtat hoc etiam ex Florentino, ubi dicitur: *Si exprimatur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum cum SS. Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum*; ubi ſignificatur utrumque eſſe exprimendum, & actionem miniſtri, & myſterium ineffabile Trinitatis: ratio eſt, quia Chriſtus Dominus voluit de facto materiam, & formam ſymbolicam in omnibus Sacramentis inſtituere, quæ ſcilicet ſignificarent effectum ſpiritualem, quem cauſant, & cauſarent effectum, quem ſignificant, ita ut expreſſius per formam verborum, quàm per materiam id ſignificaretur, conſtat deniquè *ex decreto Alex. VIII. damnantis prop. 27.*

43. Quæritur. An validè baptizet, qui omittit pronomen: Ego?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia ly ego non eſt de neceſſitate Sacramenti; cum per verbum baptizo implicitè exprimatur miniſter; peccaret tamen qui cum advertentia illud omitteret.

44. Quæritur. An validus ſit baptiſmus collatus ſub hac forma: ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis?

Reſp. Negativè, ſed eſt neceſſaria explicita expreſſio, & invocatio perſonarum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

45. Quæritur. An valeat baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus verò apud ſe reſolvit; *non intendo facere, quod facit Eccleſia*?

Reſp. Affirmativam ſententiam eſſe expreſsè damnatam *ab Alexand. VIII. cum propoſitio-*

tine 28. quia eſt de fide contra hæreticos ad valorem Sacramentorum requiri intentionem ſaltem virtualem in Miniſtro faciendi, quod Chriſtus inſtituit, ſeu quod facit Eccleſia, *Tridentinum enim ſeſſ. 7. can.* 11. habet: *Si quis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit*, quod etiam definitum fuerat in Florentino in decreto fidei ab Eugenio IV. & Leo X. Contrarium errorem damnaverat in Bulla contra Lutherum.

46. Quæritur. An deficiente intentione in baptizante faciendi, quod facit Eccleſia, Deus ex ſua infinita bonitate conferat puero gratiam ſine vero baptiſmo?

Reſp. Aliqui affirmant, ſed communiſſima ſententia negat, adeò ut oppoſita putetur omninò improbabilis, ac virtualiter damnata; ſicut enim non ſuppletur baptiſmi defectus, nec confertur gratia, quando deeſt aqua, aut quando aqua eſt putata tantùm naturalis, ita neque quando deficit intentio neceſſariò requiſita ad valorem baptiſmi, cùm obſtet lex illa divina *Joan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*, aliter nullus infans ex miſericordia divina decederet cum originali ſine gratia juſtificante.

47. Quæritur. An in baptiſmo ſequenda ſit ſemper pars tutior circa valorem?

Reſp. Affirmativè, extra caſus neceſſitatis, ratio eſt, quia ſi in baptiſmo eligeretur opinio minùs tuta; ſequerentur magna incommoda in perniciem ſalutis animarum, hinc proſcriptæ ſunt oppoſitæ opiniones *ab Innoc. XI. cum prop.* 1.

BE-

48. Quæritur. An Beneficiarius non recitans divinum officium teneatur in conſcientia reſtituere fructus beneficii ante ſententiam declaratoriam Judicis?

Reſp. Beneficiarium, qui culpabiliter omittit horas Canonicas, elapſis ſex menſibus à die poſſeſſionis, teneri in conſcientia reſtituere ante Judicis ſententiam, ut patet *ex propoſitione 20. inter damnatas ab Alexandro VII.* Ratio eſt, quia Beneficiatus negligens in recitando officium, ipſo facto talem obligationem contrahit abſque alia Iudicis declaratione, nam ſi hæc eſſet neceſſaria, ſequeretur, quod illi, qui culpabiliter divinas laudes omittunt, à reſtitutione fructuum facilè excuſarentur, cum id tam occultè faciant, ut Iudex ignorent omninò.

49. Quæritur. An ſit damnata illa opinio aſſerens, obligationem reſtituendi ex omiſſione horarum Canonicarum non oriri ex virtute juſtitiæ, ſed ex virtutibus Religionis, & obedientiæ?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia ſupradicta propoſitio damnata excuſabat Beneficiatum ab obligatione reſtituendi ante ſententiam declaratoriam Judicis, ſed hæc opinio à tali obligatione non excuſat ante dictam ſententiam, ſed ſolùm loquitur de radice, ex qua oritur reſtituendi obligatio: Ergo non eſt damnata.

50. Quæritur. An damnationi ſubjaceat opinio docens: Beneficiarium non recitan-

tem Canonicas horas uno, vel altero die, ad reſtitutionem non teneri?

Reſp. Quamvis hæc ſententia non expreſſè, nec virtualiter ſit damnata; tamen tenendum eſt tanquam certum, eam eſſe improbabilem, nam Bulla Pii V. ordinat, & aſſignat id, quòd reſtitui debet ex omiſſione divini officii unicuique diei, vel horæ aſſignati.

51. Quæritur. An jure naturali, ſeu poſitivo ad reſtitutionem fructuum teneatur Beneficiarius, qui horas omninò omittit, eo quod habeat beneficium tenue?

Reſp. Communior ſententia docet, quòd habens beneficium quantumvis tenue, ſicut gaudet privilegiis omnibus Beneficiarii, ita ad omnia eorundem onera, atque adeò etiam ad horarum recitationem teneatur, ac proindè ſi eas omittat, teneatur pariter ad reſtitutionem; præterea, quia Concilium Tridentinum, & Pius V. loquuntur indefinitè, quin excludant habentes beneficium tenue; verùm quia non pauci D. D. putant non obligari ad horas, qui fructus beneficii valdè modicos habet, eo quòd parum pro nihilo reputetur; & *ex Apoſt. ad Cor. 9. qui Altari deſerviunt, cum Altari participant, & de Altari vivere debent*; idcircò probabile eſt, nullam fructuum reſtitutionem faciendam eſſe ab iis, qui non habent à beneficio, demptis oneribus pecuniariis, bonam partem congruæ ſuſtentationis, poſſintque fructus illos modicos retinere in compenſationem aliorum onerum perſonalium, quæ ſubeunt Beneficiarii.

52. Quæritur. An reſtitutio fructuum ob ho-

horarum omiſſionem ſuppleri poſſit per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerat?

Reſp. Negativè, ut conſtat: *ex propoſitione 33. inter damnatas ab Alexandro VII.* Ratio cur id nullatenus liceat, eſt, quia donatio illa fuit omninò liberalis tum explicitè, tum implicitè, undè nequit deindè obligationi ſupervenienti ſatisfieri per eleemoſinam illam, quæ abſolutè prius tranſiit in dominium pauperis.

53. Quæritur. An ſuppleri poſſit dicta reſtitutio per eleemoſynas, quas Beneficiarius poſt omiſſionem horarum fecerit?

Reſp. Quamvis opinio affirmativa nec expreſsè, nec virtualiter ſit damnata, attamen locum non habebit in caſu, quo Beneficiarius hujuſmodi elemoſynis ſuæ obligationi ſatisfacere non intenderit; ſi verò contrarium animum expreſsè non habuerit, ſed potius voluntatem interpretativam ſolvendi ſuum debitum per quaſcumque eleemoſynas, tunc certum eſt, quod ſuppleri poteſt.

54. Quæritur. An Beneficiarius, ſeu habens Capellaniam collativam, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfaciat ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet?

Reſp. Negativè, cum expreſsè opinio affirmativa damnata maneat *ab Alexandro VII. propoſitione* 21. Ratio eſt, quia obligatio recitandi horas eſt onus perſonale, non ſecus ac onus audiendi Miſſam, jejunandi, implendi pœnitentiam à Confeſſario impoſitam; & conſtat *ex Tridentino ſeſſ.* 24. *cap.* 14. ubi dicitur: *Omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia.*

55. Quæritur. An Beneficiarius omittens horarum recitationem, peccet mortaliter, etiamſi nolit facere fructus beneficii ſuos, ſed velit illos pauperibus, aut fabricæ beneficii erogare?

Reſp. Peccare mortaliter, ratio eſt, quia onus recitandi horas eſt abſolutum, non verò conditionatum, (videlicet, ſi velit percipere fructus beneficii)atque adeò, ſi nolit eos percipere, peccat mortaliter horas omittendo, niſi tamen à recitatione horarum excuſetur ob beneficii tenuitatem, quod ſcilicet, ut communius docent, non ſubminiſtrat tertiam partem congruæ ſuſtentationis, nec proximè ad illam accedit ut dictum eſt.

BENEFICIUM.

56. QUæritur. An ſit contra juſtitiam beneficia eccleſiaſtica non conferre gratis, quando collator, pecunia interveniente, illa conferens, non exigit pretium pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur?

Reſp. Eſſe contra juſtitiam, ut conſtat *ex decreto Alexandri VII. damnantis propoſitionem* 22. Ratio eſt, quia beneficii collator tenetur gratis illud conferre quantum eſt ſicut Judex ex juſtitia tenetur integram litem adjudicare, & eleemoſyna integra eſt diſtribuenda ex voluntate teſtatoris, nam ex vi proprii muneris hæc omnia gratis diſpenſanda ſunt, cum actio, quæ debetur ex juſtitia, non ſit pretio æſtimabilis.

57. Quæritur. An collator beneficii in præ-

prædicto caſu peccet tantum contra juſtitiam, an etiam ſit Simoniacus?

Reſp. Eſſe etiam Simoniacum, ratio eſt, quia revera beneficium vendit, quamvis oretenus dicat, vendere arbitrium, atque adeò divino ſimul, ac naturali jure ad reſtitutionem tenetur, & peccat tum contra Religionem, tum contra juſtitiam.

58. Quæritur. An licitum ſit electori accipere munera oblata ad alliciendum animum, ut tibi potius, quàm alteri beneficium conferat?

Reſp. Eſſe non ſolùm contra leges poſitivas, ſed etiam contra legem naturalem accipere talia munera (niſi ſint parvi valoris, quæ cenſeantur dari omninò liberaliter, ita ut donans non cenſeatur conqueri, ſi deindè alteri favor tribuatur, quod etiam in praxi eſt valdè periculoſum, & vitandum) quare ſi eo animo accipiantur ab electore mediatè, vel immediatè, ut ad hujuſmodi favorem conferendum implicitè obligatio contrahatur, datur onus reſtituendi, tam ſi denegetur, quàm conferatur favor, non ſecus ac mutuator, ſi munera accipiat eo animo, ut velit implicitè ex juſtitia obligari ad mutuum dandum.

50. Quæritur. An poſſit collator beneficii accipere aliquid à tertia perſona, ut conferat beneficium uni præ altero?

Reſp. Eſſe diſtinguendum; ſi enim illa tertia perſona pecuniam conferat in gratiam ipſius collatoris beneficii, ut nimirum inducat illum ad ſatisfaciendum obligationi ex juſtitia, puta ad conferendum beneficium, prout debet, ne peccet contra juſtitiam, & ne ſe exponat periculo infa-

miæ, ac pœnæ, poteſt illa retineri; ſi verò conferat aliquid in gratiam creditoris, ut illi ſatisfiat, & multò magis ſi conferat in gratiam ſortis, ut illi potius, præ altero beneficium conferatur, retineri pecunia non poteſt, ratio eſt, quia in eo caſu venderetur res ex juſtitia debita, nam ſivè accipiatur pecunia à creditore, ſivè ab alio, qui partes gerit creditoris de materiali ſe habet.

60. Quæritur. An diſpoſitio Concilii Trident. circa collationem beneficiorum dignioribus, loquatur de beneficiis ſimplicibus,& nullam curam animarum habentibus.

Reſp. Quamvis Trident. ſolùm loquatur de Epiſcopatibus, & Cardinalatibus, dum dicit eos conferendos eſſe dignioribus, quia tamen eadem eſt ratio de aliis beneficiis, præſertim curatis, necnon de beneficiis ſimplicibus majoris momenti, ut ſunt Canonicatus, Præbendæ, Præpoſituræ, Decanatus &c. Idcircò dicendum peccari mortaliter, quoties digniores non eligantur, niſi parvitas materiæ excuſet. hinc nonnulli cenſent, ſolùm poſſe à mortali excuſari, ſi collatio alicujus beneficii ſimplicis tenuis fiat digno, omiſſo digniori, dummodo hoc rarò admodum, & non frequenter fiat.

61. Ex quibus fit primò, poſt *propoſitionem 47. ab Innoc. XI. damnatam*, non poſſe amplius ſuſtineri ſententiam illam docentem, Pontifices, ac Reges eſſe exemptos ab obligatione promovendi digniores ad Cardinalatum, Epiſcopatum, Prælaturas &c.

62. Sequitur 2. quod ſi conferenda ſint duo beneficia, alterum Curatum, quod tenues habeat reditus, alterum ſimplex pinguius

guius, & concurrant duo, quorum alter ſit minus dignus, ſed magis idoneus curæ animarum, alter dignior, ſed minus utilis Eccleſiæ, tunc beneficium Curatum conferri debet illi minus digno, utpotè magis idoneo, & beneficium ſimplex huic digniori, cum hoc poſtulet zelus animarum, cui debent omnia temporalia ſubordinari.

63. Sequitur 3. quod ſi concurrant ad beneficium tres, nempè dignior, dignus, & indignus, & major pars electorum velit excludere digniorem, & niſi conferatur digno, eligent indignum, tunc licitè poteſt eligi dignus, omiſſo digniori, cùm hoc ſit magis utile Eccleſiæ; & eodem modo, ſi concurrant tres, dignus, indignus, & indigniſſimus, & major pars electorum velit excludere dignum, & niſi eligatur indignus, potiùs eligent indigniſſimum, tunc probabiliter poteſt eligi indignus in bonum Eccleſiæ, & quamvis nonnulli probabilius doceant, eſſe intrinceſcè malum eligere indignum, atque adeò in nullo caſu licere, etiamſi id fiat ad pejora mala vitanda.

64. Sequitur 4. poſſe eligi dignum, omiſſo digniori, quando dignus eſt magis utilis, vel quia eſt magis ſedulus, vel magis expertus, vel minus diſtentus extraneis curis, vel aliis de cauſis.

65. Sequitur 5. ad Prælaturam regularem eligendum eſſe ſub mortali digniorem, & utiliorem, ut docent *Communiſſimè D. D.* Contra paucos improbabiliter putantes, non militare eandem rationem in Epiſcopatu, aut alio beneficio Curato, ac in Prælatura regulari, eo quòd hæc non ſit perpetua, & facilè poſſit occurri incommodis

mutando ſuperiorem, hæc tamen diſparitas eſt nulla, quia ſi ſuperior eſt dignus, non debet, nec poteſt intra tempus præſcriptum mutari, ſi verò non eſt dignior non poteſt præcavere culpas, & tranſgreſſiones eo modo, quo præcaveret dignior, & utilior regimini, & curæ animarum, undè eadem incommoda oriuntur in utroque caſu, ſi eligatur dignus, omiſſo digniori, atque adeò in utroque caſu peccant mortaliter electores alienis culpis communicando; idem prorſus dicendum de nominantibus, ſeu præſentantibus capitulo, vel Congregationi dignos, omiſſis dignioribus, ac utilioribus ad Prælaturas, ut ſunt Prioratus, Guardianatus, Rectoratus &c. Neque obſtat, quod Prælatura regularis non ſit perpetua, nam ſi licitum eſt ad annum, vel ad triennium eligere indignum, vel etiam dignum, omiſſo digniori, licebit ad aliud etiam triennium, ac ſemper, & ideò ſemper haberetur Paſtor minus idoneus ad oves paſcendas, & ad inobſervantias præcavendas, quod eſt culpa eléctorum graviſſima; Præterquam peccatur contra juſtitiam diſtributivam, acceptando perſonas in diſtributione iſtarum Prælaturarum, quæ licèt à Religioſis expeti non debeant, nec ſint inſtitutæ per ſe in præmium meritorum, nihilominus elector attendere etiam debet ad merita Religioſorum, quoties id fieri poteſt ſine præjudicio publicæ utilitatis.

66. Sequitur 6. quod præſentati, ſeu electi mortaliter peccent, ſi certò ſcientes, ſe eſſe indignos, vel minus dignos in conflictu digniorum, Prælaturas non abdicaverint, cum ſaltem ſe exponant evidenti periculo

riculo illas malè adminiſtrandi, & ex malo eorum regimine plurima oriantur incommoda, relaxationes, & ſcandala?

67. Quæritur. An Patronus Laicus teneatur eligere ſeu præſentare digniorem ad Cardinalatum, Epiſcopatum, curam animarum &c.

Reſp. Affirmativè, nam Patronus Laicus jure naturali tenetur eligere, ſeu præſentare illum, qui habeat omnia requiſita ad talia munera miniſtranda, ſi talem inveniat; quod ſi præfatus Patronus non poſſit certò ſcire, hunc, quem eligit, ſeu præſentat, habere omnia requiſita, debet eligere, ſeu præſentare eum, quem videt propius accedere ad eam perfectionem, atque adeò digniorem, & contra hanc obligationem juris naturalis nulla prævalet conſuetudo?

68. Quæritur. An ſi immediatè poſt concurſum, & examen factum ad Parochiam invenerit Epiſcopus aliquem digniorem reliquis oppoſitoribus, teneatur eos omnes deſerere, & eligere eum, qui denuò inventus eſt dignior.

Reſp. Dato quod aliquando caſus contingat, non tenetur Epiſcopus eligere illum repertum digniorem extra concurſum; obligatio enim eligendi digniorem intelligitur ſine violatione contractus initi cum concurrentibus, dummodo illi ſint digni, & ex illis eligatur dignior, ſic enim intelligendum eſt jus naturale circa electionem dignioris.

69. Quæritur. An qui reſignat beneficium Curatum in favorem alterius teneatur reſignare in favorem dignioris, vel an

ſufficiat, quòd reſignet in favorem digni?

Reſp. Reſignatorem quærere debere digniorem, nam charitas boni communis exigit, ut provideatur ſaluti animarum meliori modo, quo poſſit, hæc tamen obligatio non naſcitur ex juſtitia diſtributiva; ſed ex charitate, & deſiderio ſalutis animarum, quod beneficiarius habere debet.

70. Quæritur. An præſentans, vel eligens dignum, omiſſo digniori, ad beneficia præſertim curata, peccet contra juſtitiam commutativam, & teneatur ad reſtitutionem?

Reſp. Teneri ad reſtitutionem digniori, quando ſit concurſus; ſi verò electio minus digni fiat extra concurſum, tunc proculdubiò facienda eſt reſtitutio, ſeu compenſatio damnorum, quæ ex tali electione patitur communitas, eo quod elector teneatur ex proprio munere, atque adeò ex contractu præcavere damna Communitatis, eligendo digniores ad regimen.

71. Quæritur. An ſi quis ſuo pravo conſilio, aut auctoritate inducat electores ad prætermittendum digniorem, teneatur huic damna compenſare?

Reſp. Non teneri, ſicut non tenetur damna compenſare pauperi, qui pravo ſuo conſilio inducit divitem ad ei denegandam eleemoſynam, cum pauper non habeat jus ad illam; contra verò, qui mendaciis, fraudibus, minis, vel malis artibus inducit electores ad prætermittendum digniorem, tenetur huic damna compenſare, quia unuſquiſque habet jus ne malis artibus impediatur ſibi bonum, quod poteſt obtinere ex alterius arbitrio, ac propterea

rea violaretur in hoc caſu juſtitia commutativa.

72. Quæritur. Qui digniores dicantur?
Reſp. Non dici digniores illos, qui doctiores, aut nobiliores fuerint, ſed qui omnibus bonis dotibus animi, & corporis conſideratis, Eccleſiæ utiliores futuri eſſe creduntur.

BULLA COENÆ.

73. QUæritur. An vera ſit illa opinio aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, necnon talem ſententiam anno 1629. die 18. Julii in Conſiſtorio Sanctæ Congreg. Eminentiſs. Cardinalium viſam, & toleratam fuiſſe?

Reſp. Eſſe falſam, ratio eſt, quià ſi verè fuiſſet hæc ſententia in Conſiſtorio viſa, ac tolerata, Summus Pontifex Alexandro VII. declarando oppoſitum, illamque expreſsè damnando *cum propoſitione 3.* aut deberet ignorare hujuſmodi factum, aut mentiri, quod citra temeritatem, aut impietatem ſuſtineri non poteſt.

74. Quæritur. An per dictam propoſitionem proſcriptam indirectè damnetur ſententia docens, poſſe Epiſcopos vi Tridentini, non obſtante Bulla Cœnæ, abſolvere ab hæreſi, & ab aliis criminibus in ea Bulla contentis, dummodò ſit occulta?

Reſp. Alii negant, alii verò probabilius affirmant, quia aliter Pontifex non deberet tolli-

ſollicitus, ne ea dicatur in Conſiſtorio tolerata; equidem cenſeri debet, quod ſicut maximum pondus acceſſiſſet ſententiæ affirmanti, Epiſcopos poſſe uti facultate abſolvendi à dictis exceſſibus à Tridentino conceſſa, non obſtante Bulla Cœnæ, ſi ea viſa, & tolerata fuiſſet in Conſiſtorio, ita maximum pondus de facto acceſſit ſententiæ neganti ex hoc, quod Pontifex ex Cathedra doceat, eam non fuiſſe viſam, & toleratam; proindè ſi priùs habebat tenuem probabilitatem ea ſententia, nunc habet tenuiſſimam, ſi verò priùs erat ſolidæ probabilitatis, nunc ab ea ſolida probabilitate multum eſt deturbata, immò ad tenuem probabilitatem redacta, ideòque inſufficiens ad prudenter operandum; præterea, quia ſæpè Pontifices cum Pio V. Greg. XIII. Clem. VIII. declararunt, non poſſe amplius Epiſcopos uti ea facultate à Tridentino conceſſa, ut teſtantur multi DD. Idcircò dicendum, Bullam Cœnæ facultati illi derogare.

75. Quæritur. An ſimiliter per eamdem Bullam derogetur facultati in jure Canonico Epiſcopis conceſſæ abſolvendi ab omnibus Pontificiis caſibus eos, qui ratione alicujus impedimenti, ſivè perpetui, ſivè diuturni nequeunt adire Pontificem; ſiquidem in Bulla expreſsè prohibetur, ne quis à caſibus in ea contentis abſolvat, niſi conſtitutos dumtaxat in mortis articulo?

Reſp. Non derogari, nam quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel Legatum, aut ejus delegatum, niſi cum magna difficultate, & mora, poteſt pœnitens abſolvi ab inferiore Sacerdote, cum

one-

onere comparendi coram Pontifice, ceſſante impedimento, ut dicitur *in Cap. Eos qui de ſententia excomm. in 6. in Cap. Mulieres. Cap. Quamvis &c.* Quare licèt Bulla Cœnæ solùm excipiat articulum mortis, jus tamen Canonicum exceptionem ampliavit ad caſum neceſſitatis, aliter reſervatio, quæ pro bono charitatis introducta eſt, contra charitatem vergeret, & poteſtas retinendi peccata data, ut loquitur Apoſt. in ædificationem, eſſet in deſtructionem; hinc ab Epiſcopis abſolvi poſſunt impuberes, valetudinerii, pauperes, qui ob paupertatem non poſſunt iter agere, & quicumque diuturno impedimento detinentur, ita tamen, ut ſi impedimentum non ſit perpetuum (excepto impedimento pueritiæ) debeant ſub juramento obſtringi ad comparendum coram Pontifice, ceſſante illo impedimento, quamvis probabile ſit, cautionem juramentoriam requiri ſolùm pro foro externo, & ſufficere pro foro interno firmum propoſitum pœnitentis, prout ſufficit in aliis obligationibus.

76. Quæritur. Quodnam dicatur impedimentum perpetuum?

Reſp. Dici, illud, quod eſt admodum longum, v. g. Sex, vel octo annorum, quia in hac longitudine temporis moraliter ſubeſt periculum mortis; dicitur autem impedimentum temporale, quoties non cenſetur adeſſe morale mortis periculum, ut ſi quis per unum, vel alterum diem deberet expectare copiam Confeſſarii habentis facultatem delegatam; regulariter verò prudentis, ac docti viri judicio ſpectanda eſt, penſatis circumſtantiis, moræ hujus longitudo,

tudo, ratione cujus poſſit inferior abſolvere à reſervatis cum onere &c.

77. Quæritur. An ſicut poteſt Epiſcopus à caſibus etiam publicis Bullæ Cœnæ abſolvere, quando datur impedimentum perpetuum, vel diuturnum adeundi Pontificem, eodem prorſus pacto poſſit alius Confeſſarius, ſi detur pariter idem impedimentum adeundi Epiſcopum, tam in caſibus Pontifici, quàm in caſibus ipſi Epiſcopo reſervatis?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia militat eadem ratio, quod ſcilicèt reſervatio non eſſet in ædificationem, ſed in deſtructionem, quarè ſicut cenſetur Pontifex annuere, quòd poſſit Epiſcopus abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ in caſu neceſſitatis, etiam extra mortis articulum, ne pro dilatione pœnitentiæ immineat periculum animarum, ita cenſetur etiam annuere, quòd poſſit alius Confeſſarius, ſi nec poſſit Epiſcopus adiri; quòd ſi urgeat neceſſitas communionis ad vitandam infamiam, vel ſcandalum, ſi hìc, & nunc non communicet habens reſervata, poterit pariter abſolvi à Confeſſario inferiore non habente facultatem in illa, ſi aliàs fuerit diſpoſitus, cum onere tamen poſtea comparendi coram ordinario, vel ſuperiore.

78. Quæritur. An qui occaſione alicujus impedimenti abſolvitur ab inferiore Confeſſario à reſervatis non habentibus annexam excommunicationem, abſolvi debeat cum onere procurandi deindè abſolutionem directam in ſuperiore?

Reſp. Eſſe diſtinguendum: quando abſolutio à reſervatis non habentibus annexam cenſuram confertur ab inferiore habente à ju-

re facultatem abſolvendi ab illis in caſu impedimenti, quemadmodum poteſt quilibet Sacerdos in articulo mortis, & Epiſcopus, quando non poteſt pœnitens adire Pontificem, ut dictum eſt ſuperius, tunc abſolutio confertur directè, atque adeò ſine onere; quando verò abſolutio confertur ab inferiore non habente à jure facultatem abſolvendi à reſervatis in caſu impedimenti, ut accidit, quando quis v. gr. urgente neceſſitate Communionis confitetur reſervata inferiori Confeſsario impotens ſuperiorem adire, tunc abſolutio à reſervatis eſt indirecta, atque adeò remanet onus ſubiiciendi ea iterum clavibus, ut abſolvantur directè, non ſecus, ac ſi fuiſsent oblita.

79. Quæritur. An in aliquo alio caſu poſſit Epiſcopus, vel inferior Confeſsarius abſolvere ab hęreſi, & cęteris caſibus Bullę Cœnę?

Reſp. Poſse, primò, ſi hæreſis, vel alius caſus fuerit tantùm internus, quia Eccleſia de facto non reſervat peccata merè interna, quicquid ſit, an poſſit ea reſervare, in quo variant D. D. undè cenſura non incurritur ob meram hæreſim internam.

80. Secundò, Caſus Bullæ Cœnæ, ac omnes alii reſervati à quolibet Confeſsario abſolvi poſsunt, ſi peccatum eternum ſit leve, quamvis internum ſit grave, ratio eſt, quia reſervatio debet eſse commenſurata gravitati culpæ, quæ reſervatur.

81. Tertiò, abſolvi pariter poſsunt à quolibet Confeſsario in caſu dubio, ut communiter docent D. D. quia odia ſunt reſtringenda. Favores verò ampliandi, exceptis tamen caſibus in Bulla Cœnæ contentis,

ut

ut conſtat ex decretis *Clem. VIII. Pauli V.* & *S. Congr. Eminentiſs. Card.*

82. Quarto. Ab hæreſi, necnon ab aliis caſibus Bullæ Cœnæ per quemcumque Confeſſarium abſolvi poteſt, qui invincibiliter ignoravit iis annexam eſſe excommunicationem; Cenſura enim invincibiliter ignorata non incurritur; cum præ requiratur ad eam incurrendam contumacia, ſeu legis contemptus, ubi verò lex Eccleſiaſtica imponens excommunicationem ignoratur, ceſſat contumacia, cum autem caſus prædictę Bullæ, & omnes alii Pontificii ſint reſervati de facto, quia habent annexam excommunicationem, ideò ignorata ea invincibiliter, reſervatio non incurritur, undè poteſt quilibet Confeſſarius ab iis abſolvere; quod ſi ignorantia fuerit Craſſa, vel ſupina, & multo magis ſi ſit affectata, cenſura incurritur.

84. Quinto. Poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere ab hæreſi, quæ ſit tantùm externa citra ullum errorem in intellectu, quamvis ſit graviſſima culpa contra externam fidei Confeſſionem, ideòque præſumatur hæreticus, qui eam protulit, undè denunciandus, & puniendus ſit.

84. Sextò. Qui abſolutus tempore Jubilæi oblitus fuit caſum aliquem Bullæ Cœnæ, poterit deindè abſolutionem directam à quocumque Confeſſario obtinere; quicquid ſit utrum idem dicendum ſit de caſo hæreſis, etenim D. D. non conveniunt, an tempore Jubilæi, quando conceditur facultas abſolvendi etiam à Caſibus Bullæ Cœnæ, concedatur pariter facultas abſolvendi etiam ab hæreſi, quæ, eſt primus caſus

ſus in ea Bulla; probabilius autem eſt, hunc Caſum ſpeciali mentione indigere, ut intelligatur ea facultas conceſſa; facultate abſolvendi ab omnibus Caſibus Bullæ Cœnæ, non intelligitur conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi, quippè, quæ habet ſpecialiſſimam reſervationem, undè indiget etiam ſpeciali mentione.

85. Quæritur. An Bulla Urbani VIII. *in Eminenti*. Sit ſubreptitia?

Reſp. Sententia affirmans, eam Bullam eſſe ſubreptitiam, eſt expreſsè *ab Alex. VIII. damnata cum propoſitione*. 31. auctores enim propoſitionis profitentur, & Bullam eſſe falſam, & & ſententias per eam prohibitas eſſe veras, conſequenter Romanum Pontificem ex Cathedra loquentem in materia morum, & in his, quæ ad rectè vivendum pertinent, non eſſe regulam infallibilem, & poſſe falſa, ac turpia docere, & honeſta damnare; quod affirmari nequit, niſi ab exiſtente extra Eccleſiam, & pertinaciter aſſerente, Romanum Pontificem in formandis, decretis (quibus noxia, & pernicioſa doctrinarum paſcua ab innoxiis, & ſalubribus ſegregat) ex certa, & infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia non operari; Quamobrem omninò temerè aſſeritur, Bullam Urbani eſſe ſubreptitiam, nempè editam à Pontifice veritatis ignaro, nam præſcindendo ab aſſiſtentia Spiritus Sancti in decidendis quæſtionibus ad fidem pertinentibus, Pontifex in ea Bulla aſſerit, ex matura, ac diligenti lectione illius libri, cui titulus, *Auguſtinus*, compertum eſſe, in eo multas propoſitiones *Michaelis Baii* à duobus Pontificibus antecedenter damnatas contineri, ac renovari. CEN-

86. Quæritur. An quoad forum Conſcientiæ reo correcto, ejuſque contumacia ceſsante, ceſsent, etiam Cenſuræ?

Reſp. Negativè, cum opinio affirmativa ſit expreſsè *ab Alex. VII. damnata cum propoſitione* 44. Falſitas enim ejus oſtenditur ex eo, quia licèt contumacia requiratur, ut poſſit ferri Cenſura, adeò ut hæc ab illa dependeat in fieri, non pendet tamen ab illa in conſervari, non ſecus ac culpa eſt cauſa pœnæ, hæc tamen ſæpè poſt culpam tranſactam perſeverat, atque adeò licèt poſt reſipiſcentiam, & condignam ſatisfactionem exhibitam abſolutio conferenda ſit eo, quòd Cenſura ſit pœna Medicinalis, & non merè vindicativa, nihilominus ea ante abſolutionem non ceſsat, tum quia qui juridica, & legitima poteſtate ligatur, ab eadem debet abſolvi, tum etiam quia quamvis ſublata contumacia ſatisfactum ſit obedientiæ debitæ Eccleſiæ, pœna tamen pro culpa commiſsa non ſufficienter luitur, donec ab ipſa Eccleſia abſolutio obtineatur.

87. Quæritur. An Cenſura ferri poſſit ad tempus determinatum, puta per menſem, eoque elapſo ceſset Cenſura per abſolutionem, quæ fertur ſimul cum excommunicatione ſub conditione quòd menſis elabatur?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia cum Cenſura ſit pœna Medicinalis non poteſt ferri ad tempus determinatum, nam ſi ante illud

re-

reſipuerit reus, debet ante illud abſolvi, & ſi poſt illud perſeveraverit contumacia, non eſt æquum, quòd abſolvatur; & quamvis nonnulli doceant, quod poſſit ferri Cenſura ad tempus indeterminatum, puta donec reſtituas, & quod in tali caſu, purificata conditione, Cenſura ſtatim ceſset ob abſolutionem, quæ ſimul cum excommunicatione collata fuit ſub conditione reſtitutionis; verum cum ex *Reg.* 77. *Juris in* 6. *Actus legitimi conditionem non recipiant*, propterea quando quis excommunicatur, vel ſuſpenditur, donec reſtituat, non fit ſenſus, quod ex tunc abſolvatur ſub conditione, quod reſtituat, ſed fit ſenſus, quod non erit abſolvendus, niſi poſt reſtitutionem, atque adeò etiam ſi reſtituat, adhuc indiget abſolutione, quapropter univerſim contumacia ceſsante, ac reo correcto, Cenſuræ non ceſsant.

88. Quæritur. An ſi excommunicatus occultus moriatur pœnitens, indigeat abſolutione poſt mortem?

Reſp. Eſse abſolvendum occultè, cùm diſputetur à D. D. an poſſit Eccleſiæ ſuffragiis frui ante abſolutionem, ubi notandum, quod qui probabiliter docent, excommunicatum contritum ex benignitate Eccleſiæ eſse capacem indulgentiarum; non proindè docent eſse ſimpliciter à Cenſura immunem ante abſolutionem, cum negent, poſse illum ſuſcipere Sacramenta pœnitentiæ; aut Euchariſtiæ, antequam abſolvatur?

COM-

89. Quæritur. An præcepto Eccleſiaſtico Communionis annuæ ſatis fiat per ſacrilegam Euchariſtiæ ſumptionem?

Reſp. Negativè, nam is, qui ſacrilegè ſuſcipit Euchariſtiæ Sacramentum, non ſolùm non ſatisfacit præcepto, ſed potiùs peccat contra præceptum divinum, & contra Eccleſiaſticum, atque adeò tenetur adhuc præcepto humano ad Communicandum dignè. oppoſitum eſt expreſsè damnatum *ab Innoc. XI. propoſitione* 55.

90. Quæritur. An frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, ſit nota prædeſtinationis?

Reſp. Prædictus Pontifex proſcripſit *propoſitionem* 56. id aſſerentem; & meritò, quia ex triplici capite ipſa delirat; primò, quia ſupponit, eum, qui gentiliter vivit, id eſt depravatis, & corruptis continuò moribus, ſe ritè diſponere quotidie, vel frequenter ad Sacramenta recipienda; 2. quia cum moraliter certum ſit, eum, qui gentiliter vivit, & depravatis moribus vitam continuat, ſi accedat ad Sacramenta, malè, & indignè ſe diſponere ad ea ſuſcipienda. & conſequenter ſacrilegam eſſe in eo receptionem Sacramentalem, ea propoſitio indicat, talem receptionem, quantumvis ſacrilegam, eſſe notam prædeſtinationis, quo quid abſurdius excogitari poteſt? 3. Quia nullum eſt verùm ſignum prædeſtinationis, niſi aſſocietur diuturna obſervantia mandatorum Dei.

91.

91. Quæritur. An Sacerdos ſacrificans ex neceſſitate cum peccato mortali teneatur *quamprimum confiteri*, non ſolùm ex conſilio, ſed etiam ex præcepto graviter obligante.

Reſp. Affirmativè, nam oppoſita opinio damnatur *ab Alex. VII. cum propoſitione* 38. Ratio eſt, quia tam uſus Eccleſiæ, quam Theologi omnes (uno vel altero excepto) cenſent *Tridentini præceptum ſeſſ.* 13. *cap.* 3. graviter obligare; præterquam quod univerſim lex cenſetur ſub gravi obligare, ubi materia eſt gravis ſivè in ſe, ſivè ratione finis, ob quem lex imponitur, eo quod præſumatur, quod legislator velit imponere obligationem conſonam materiæ, niſi aliundè aliud colligatur, in caſu noſtro non cenſetur levis materia hujus legis, ne ſcilicèt Sacerdos, qui frequenter celebrat, facilè judicet neceſſitatem urgere ad celebrandum ſine prævia confeſſione peccati, & aſſueſcat differre Confeſſionem peccati non manifeſtati in Confeſſione prævia, quod fert gravem irreverentiam Sacramento Euchariſtico, ad quod ex præcepto divino non ſufficit ſolam contritionem ſine Confeſſione præmittere: ergo lex iſta Tridentini non eſt merum conſilium, ſed præceptum obligans ſub mortali.

92. Quæritur. An ubi Tridentinum receptum non eſt, detur iſthæc obligatio impoſita Sacerdoti de confitendo *quamprimum*; ſi neceſſitate urgente abſque prævia Confeſſione cum ſola contritione de mortali, celebraverit?

Reſp. Probabile eſſe, non dari, ratio eſt, quia communius docent D. D. præce-

ptum,

ptum, de quo loquimur, eſſe juris Eccleſiaſtici, non verò juris naturalis, aut divini, cum neque jus naturæ obliget ad ponendam *quamprimùm* Confeſſionem, quæ erat antecedenter ponenda, neque extet divini præcepti ad id obligantis veſtigium ullum.

93. Quæritur. An vi hujus præcepti ſolùm Sacerdotes, an verò etiam Laici, qui ex neceſſitate cum peccato mortali, prævia contritione, Communicant, teneantur *quamprimùm* confiteri?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia lex ſolùm loquitur de Sacerdotibus, idcircò non eſt extendenda ad Laicos, tum quia in legibus poſitivis non tenet argumentum à pari, tum etiam quia diſpar eſt ratio de utriſque, cum enim Sacerdotes frequenter celebrent, erat iis id ſpecialiter iniungendum, quippe iis majus periculum ſubeſt indignè communicandi, præterquam quòd facilè eſt contingere, quòd in aliquo oppido Sacerdos non habeat alium Sacerdotem, à quo abſolvatur, Laicus verò ferè ſemper habet Sacerdotem, à quo poſſit ante communionem abſolvi, ſed etſi per accidens careat copia Confeſſarii, & de facto non confiteatur ante communionem habens mortalia, non tenetur deindè ſtatim confiteri, ſicut obligatus in articulo mortis ad communicandum, ſi tunc impediatur; non tenetur deindè ſtatim Communicare; ſed neque ad id tenetur Sacerdos, ſi non celebret, ſed inſtar Laicorum communicet.

94. Quæritur. An Sacerdos, qui præmiſit jam Confeſſionem, & deindè recordatur alicujus mortalis, quin poſſit ad Confeſſarium

rium redire, ſi neceſſitate urgente celebret teneatur *quamprimùm* confiteri?

Reſp. Affirmant plures D. D. cum jam citra Confeſſionem illius peccati ex neceſſitate celebret; ſed negant nonnulli, quia Tridentinum ſolùm videtur loqui de eo, qui abſque ulla prævia confeſſione celebrat, non verò de eo, qui poſt Confeſſionem per accidens recordatur alicujus mortalis, immò forte nec de iis loquitur, qui abſque Confeſſione, & abſque Conſcientia peccati mortalis ad celebrandum accedunt, & dum celebrant, mortalis recordantur, ſicut etiam qui poſt Communionem recordantur, peccati invincibiliter prius obliti non obligatur illud *quamprimùm* confiteri.

95. Quæritur. An hoc præcepto confitendi *quamprimùm* poſt Miſſam obligetur Sacerdos, qui culpabiliter celebrant abſque Confeſſione, vel cum Confeſſione voluntariè nulla?

Reſp. Probabile eſt, obligari, quia hic magis eſt reus, quam Sacerdos, qui mortaliter deliquit, ſed neceſſitate urgente abſque Confeſsione inculpabiliter celebravit: probabilius tamen eſt, non obligari, quia præceptum hoc eſt impoſitum Sacerdotibus, qui prætextu neceſſitatis celebrandi diu differunt Confeſſionem, non illis, qui ex malitia Confeſsionem omittunt, cum iſtos jam urgeat divinum præceptum confitendi; novum illud præceptum Eccleſiæ confitendi *quamprimùm* reverà eſſet illis nova occaſio peccandi, abſque ſpe fructus, unde non debuit illis imponi, eſto ſint ſacrilegi.

96. Quæritur. An urgente neceſſitate celebrandi, Sacerdos, qui occulta excommunicatione, vel peccato reſervato innodatus eſt, debeat confiteri ante celebrationem Confeſſario carenti facultate abſolvendi à reſervatis, cum onere ſe præſentandi ſuperiori *quamprimùm* poterit, ſacrificio peracto?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia verè habet conſcientiam peccati mortalis, ergo debet implere præceptum de præmittenda Confeſſione celebrationi, & confiteri peccata illi Sacerdoti, ut à reſervatis indirectam abſolutionem, & ab aliis directam obtineat, cum onere ſe præſentandi ſuperiori *quamprimùm*.

97. Quæritur. An qui cum mortali celebrat, non præmiſſa Confeſſione, dum Confeſſarii copiam habet, unum, aut duplex peccatum committat?

Reſp. Duplex committit, unum per indignam Euchariſtiæ ſumptionem; alterum per ſacrilegam celebrationem.

98. Quæritur. Quandonam Sacerdos cenſeatur habere neceſſitatem ſacrificandi abſque prævia Confeſſione cum contritione de mortali ob carentium Confeſſarii?

Reſp. De illa D. D. Diſputant; conveniunt tamen in hoc, quod ſit ſufficiens caput ita ſacrificandi, & Laicis communicandi primò; ſi detur mortis periculum, nec detur copia Confeſſarii. 2. ſi Euchariſtiæ ſuſceptio, vel ſacrificium omitti non poſſit citra gravem infamiam propriam, vel citra aliorum ſcandalum; immò plures D. D. affirmant, quòd etiam ſecluſo ſcandalo, & infamia Sacerdos, qui Miſſam inchoavit, vel Laicus, qui ad linteum communio-

munionis acceſſit, non teneantur ad Confeſſionem, ſi tunc mortalis recordentur, vel tunc peccent, ſed poſſint præmiſſa contritione communicare, idque ad vitandam irreverentiam, quæ haberetur in relinquendo locum illum, & actionem jam moraliter inchoatam 3. Poteſt Sacerdos ſic celebrare ad dandum Viaticum moribundo 4. probabiliter poteſt ſic Sacerdos celebrare, ſi non poſſit aliter, aut ipſe, aut alii ſatisfacere præcepto de ſacro audiendo 5. Parochus, ſi non adſit alius Sacerdos, qui celebret diebus feſtis, & ex non celebrando oriretur grave ſcandalum, infamia &c.

99. Quęritur. Quandonam ex neceſſitate celebranti cenſeatur deeſſe copia Confeſſarii?

Reſp. cum nullus eſt præſens Sacerdos approbatus cum juriſdictione, item cum eſt præſens, ſed non vult eum abſolvere, item cum eſt adeo diſtans, ut ad eum non poſſit accedere niſi cum magna difficultate, & incommodo ſalutis, honoris, & famæ, in quo conſideranda eſt qualitas, & circumſtantia itineris, perſonæ, & temporis, ſuper quo nullus in judicio ſit laxus.

100. Quæritur. Quomodo intelligendum ſit illud *quamprimùm* à Tridentino præceptum?

Reſp. Non eſt intelligendum eo ſenſu, quo plures D. D. illud interprætati ſunt: ſcilicet cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur, nam hoc eſt expreſsè damnatum *ab Alex. VII. cum propoſitione* 39. Sed intelligendum eſt ſic, ut valdè cito Sacerdos, finita Miſſa, ſi opportune, & ſine notabili incommodo poſſit, quærat Confeſſarium, & confiteatur. hoc eſt, quamprimum confiteri;

perpende etiam circumſtantias interrogationis præcedentis.

101. Quæritur. An Sacerdos, qui ſtatim finita Miſſa præſentaneum habet Confeſſarium, quem poſtea intra biduum, vel triduum non eſt amplius habiturus, teneatur illicò confiteri, nulla interpoſiti mora?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia univerſim, qui ad aliquem actum intra certum tempus obligatur, prævenire debet, ſi non poſsit deindè præceptum implere, ſic qui die feſto diluculò tantùm poteſt audire ſacrum, nullam deinde habens opportunitatem, tenetur anticipare, & ſummo mane illud audire, ſic etiam, qui in principio diei timet febrim, puta quartanam ſuperventuram, aut aliud impedimentum, tenetur officium illius diei prævenire, & manè veſperas, ac completorium recitare, ergo etiam in caſu noſtro tenetur Sacerdos prævenire.

102. Quæritur. An ſint judicandi ſacrilegi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint?

Reſp. Alexander VII. damnavit *propoſitionem* 22. id aſſerentem, & merito, quia qui jus ad Communionem percipiendum prætendunt, nondum peracta pœnitentia, non poſſunt dici ſacrilegi per hoc, quod cum ſint ritè diſpoſiti ad abſolutionem Sacramentalem obtinendam, illam prætendant, ut ea præmiſſa poſsint communicare, ac cibo Euchariſtico nutriri, & confortari, nam quamvis poſsit aliquando Confeſſarius differre abſolutionem pœnitenti, ut ejus conſtantiam experiatur, & aliquando etiam imponere dilationem ſuſceptionis Euchariſtiæ,

fal-

falſum tamen eſt, quod aut teneatur, aut poſsit ſemper abſolutionem differre, & abſtinentiam à cibo Euchariſtico indicere, donec pœnitentia peragatur, idque tanquam error refertur à *Sixto IV. in Bulla contra Petrum de Oſma*, nam ſatisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ, & alienum eſt à verbo Dei, ac Patrum ſenſu, culpam non remitti, quin pœna omnis ſemper per Sacramentum pœnitentiæ condonetur; legas *Trident. ſeſſ.* 14. *de Pœnit. Can.* 12.

103. Neque poſſunt dici ſacrilegi ob ullam indecentiam graviter culpabilem, quod eſt pariter ſenſus omnium Theologorum, ut conſtat *ex Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 7. Quare ille tantùm dicendus eſt ſacrilegus, qui cum mortali accedit, & conſequenter, qui propoſitum habet non adimplendi pœnitentiam gravem ſibi à Confeſſario impoſitam, non verò qui nondum illam implevit; præſertim quia ſæpe non poteſt illa ſtatim impleri, & neceſsitas Communionis urget, ratio eſt, quia nulla apparet in hoc indecentia, quod ad fontem miſericordiæ accedat reus alicujus pœnæ, aliter fere nunquam poſſemus ad Euchariſtiam accedere, cum ferè nunquam poſsit nobis innoteſcere, quod condignam de peccatis pœnitentiam egerimus, quamvis pœnitentiam Sacramentalem executi ſimus.

104. Poteſt tamen aliquis aliquando ſacrilegè ad Euchariſtiam accedere, etiamſi nullius culpæ mortalis antecedenter ſibi ſit conſcius, ut ſi cum irreverentia, tempore, vel diſtractione involuente contemptum tanti Sacramenti accedat, aut non jejunus, aut cum excommunicatione minore, aut cum

ſola contritione, extra caſum neceſſitatis, non præmiſſa Confeſſione mortalis commiſſi; ratio eſt, quia ex lege naturali, aut poſitiva graviter prohibetur hujuſmodi acceſſus; nulla autem lex univerſim obligat, ne quis ad Euchariſtiam accedat non peracta pœnitentia condigna.

105. Quæritur. An arcendi ſint à ſacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers?

Reſp. Negativè, nam *Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 7. *explicans illud Pauli* 1. *ad Cor.* 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, nullam aliam diſpoſitionem exigit, quam quòd probet ſe homo, & inveniat peccati mortalis immunem, & ſi illud repererit, doleat, & cofiteatur; quæ doctrina eſſet certe inutila, ſi requireretur etiam amor Dei puriſſimus, aut alia diſpoſitio jure naturæ non requiſita, id circo opinio affirmans, arcendos eſſe à Communione eos, quibus hujuſmodi amor deeſt, manet expreſsè damnata *ab Alex. VIII. cum propoſitione* 23.

106. Quæritur. An requiratur actualis devotio ad fructum ex ſacra Communione percipiendum?

Reſp. Negativè, quia licèt mentis evagatio, & modica præparatio impediat dulcedinem ſpiritualem propriam hujus Sacramenti, non impedit tamen præcipuum fructum, nempè gratiæ augmentum, niſi indevotio ſit formalis, adeo ut ferat tanti Sacramenti contemptum, & irreverentiam pertingentem ad mortale.

107. Quæritur. An Laicis, præſertim coniugatis, poſſit permitti quotidiana, vel nimis frequens communio?

Reſp.

Reſp. Univerſim non eſt permittenda; quamvis poſſit dari caſus, in quo ob ſpecialem pietatem poſſit permitti, ideo *Innoc. XI. in decreto de Communione quotidiana edito* 12. *Febr.* 1678. Noluit univerſim Communionem quotidianam prohiberi, nec ſumendi illam dies generaliter conſtitui, ſed juxta Patris ſpiritualis conſilium poſſe quemlibet crebrius, aut rarius pro devotionis, & præparationis modo Dominici corporis ſuavitatem deguſtare; idcircò Chriſtus Dominus noluit hunc cibum haberi, niſi per manus Sacerdotis, ut videlicet ſciret Sacerdos quibus, & quando dari expediret, inſpiciendo non ſolùm reverentiam tanto Sacramento debitam, ſed etiam profectum ſuſcipientis; ſæpe enim contingit, ut magis pro ſit Communio rarior, quam frequentior, ut docet *D. Bonav. in.* 4. *diſt.* 12. *dicens*, *majorem effectum recipit homo in una Miſſa, vel manducatione cum bona præparatione, quam in multis, ſi non ſe præparet diligenter*; nimia enim frequentia paulatim in pluribus diligentiam adimit præparationis, atque adeo fructus ubertatem, qui pro menſura diſpoſitioni confertur juxta doctrinam *Trident. ſeſſ. 6. cap. 7.*

108. Dices: Poteſt Laicis, etiam conjugatis non indevotis univerſim permitti Communio quotidiana, poſito quod omnibus Sacerdotibus, etiam indevotis permittatur?

Reſp Primò *D. Bonav. lib. 2. de profectu Religioſorum cap. 77.* Conſilium dat Sacerdotibus non ritè ſe præparantibus, ut abſtineant aliquando, ad hoc ut reverentius accedant, deinde ſtatus Sacerdotalis de ſe fert majorem diſpoſitionem ob elonga-

 tio-

tionem à curis ſæcularibus; tertiò defectus diſpoſitionis in his compenſatur per obligationem, quam habent ex proprio munere offerendi ſacrificium, cum ſint nuncii, ac miniſtri publici ab Eccleſia deputati ad Deum placandum, unde Eccleſiæ puritas, cujus nomine accedunt, reddit eos Deo magis acceptos; niſi, ut dictum eſt, indevotio ſit formalis, adeò ut ferat tanti Sacramenti contemptum, & irreverentiam, pertingentem ad mortale, vel circumſtantibus ſcandalum præbeat, celebrando, ut paſſim fit, cum magna celeritate, & notabili dedecore tanti myſterii, vel cum notabili omiſſione verborum, aut confuſione ſacrorum Rituum; ex quo colligitur, quod innumerabiles Sacerdotes, qui Miſſam præcipitant, in infernum præcipitant, quia indigna tractatio hujus tremendi ſacrificii nimis provocat Omnipotentis iram, præſertim quia qui indignè ſumunt S. Euchariſtiam, judicium ſibi manducant, & bibent *ex Apoſt. ad Corinth.* 11.

CONFESSARIUS.

109. Quæritur. An qui beneficium Curatum habent, poſſint ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem ab Ordinario non approbatum?

Reſp. Negativè, ut patet ex decreto *Alexandri VII. damnantis propoſitionem* 16. Ratio eſt, quia *Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. Decrevit, nullum etiam Regularem poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſco-

ſcopus idoneus judicetur, & approbationem obtineat, non obſtantibus privilegiis, aut conſuetudine, etiam immemorabili; ergo eſto Parochi olim, aut conſuetudine, aut privilegio poſſent ſibi in Confeſſarium eligere ſimplicem Sacerdotem, poſt Tridentinum tamen nullatenus poſſunt.

110. Quæritur. An Epiſcopi poſſint ſibi in Confeſſarium eligere ſimplicem Sacerdotem non ſubditum extra propriam Diœceſim ab Ordinario non approbatum?

Reſp. Non poſſe, quia cum ad dubium decidendum deputata fuerit Congregatio decem Cardinalium, quorum quinque in partem affirmativam inclinarunt, quinque verò in negativam, Gregor. XIII. in ea ſententiarum diverſitate conſultus reſpondit: in re dubia tutius eſt adhærere Concilii Tridentini decreto; quare ſolùm poſſunt eligere ſimplicem Sacerdotem ſubditum extra Diœceſim, aut non ſubditum in propria Diœceſi, quia per hanc electionem illum approbant, quin poſſint non ſubditum extra Diœceſim approbare?

111. Quæritur. An Prælati Regulares poſſint ſibi in Confeſſarium eligere ſimplicem Sacerdotem propriæ Religionis Ordinario non approbatum?

Reſp. Poſſe, quia *Tridentinum loco citato* approbationem Epiſcopi in Confeſſario exigit ſolùm relatè ad Confeſſiones ſæcularium; quare cum poſſit Prælatus Regularis ſuis ſubditis concedere facultatem, ut ſimplici Sacerdoti confiteantur, poterit pariter ipſe ſibi ſimplicem Sacerdotem eligere in Confeſſarium, cum deterioris conditionis non ſit.

112. Quæritur. An Vicarii Capitulares, Abbates exempti, & alii hujuſmodi poſſint ſibi in Confeſſarium eligere Sacerdotem ſimplicem?

Reſp. Poſſe eo modo, quo poſſunt Epiſcopi, quia reverà habent juriſdictionem Epiſcopalem, neque obſtat, quod Tridentinum exigat approbationem ab Epiſcopis, nam nomine Epiſcoporum veniunt ii, qui habent juriſdictionem Epiſcopalem, ut ſunt Capitulum Sede vacante, Vicarius Epiſcopi, Archiepiſcopus in Diœceſibus ſuffraganeorum tempore viſitationis, Abbates, & nonnulli Prælati exempti.

113. Quæritur. An Parochus poſſit iure ſuo delegare vices ſuas, & juriſdictionem in ordine ad audiendas Confeſſiones alteri Parocho, necnon Sacerdoti approbato ab alieno Epiſcopo?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia eſt neceſſaria approbatio Ordinarii loci, in quo Confeſſiones audiuntur, quod ſatis indicat textus Concilii, nullum Sacerdotem poſſe Confeſſiones audire, niſi ab Epiſcopis approbatio obtineatur, ubi plurali locutione ſignificat ab Epiſcopis reſpectivè eſſe approbandum, ſic ut non ſufficiat in una approbationem obtinuiſſe, ſi in aliis Diœceſibus debeat Confeſſiones excipere, etiam perſonarum illius Diœceſis, in qua quis prius approbatus fuit, ut expreſsè habetur *in Conſt. Clementis X. quæ incipit: Superna &c.*

114. Quæritur. An etiam cum vigore Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ Confeſſarius eligitur, debeat eſſe approbatus ab Ordinario loci, in quo Confeſſio auditur, an ve-

rò ſufficiat, quod fuerit ab aliquo Ordinario Mundi approbatus?

Reſp. Eſſe neceſſariam approbationem Ordinarii loci, in quo auditur Confeſſio: de electo vigore Jubilæi patet ex declarationibus S. Congr. Concilii, & ex clauſula, quàm litteris Jubilæi ſolent Pontifices adiicere; de electo in vim Bullæ Cruciatæ, aprobationem quoque Ordinarii loci, ubi auditur Confeſſio, neceſſariam eſſe conſtat ex decreto Innoc. XII. quod incipit: *Cum ſicut die* 13. *Aprilis* 1700. *edito*.

115. Quæritur. An approbatio pro Confeſſionibus virorum ſufficiat Regularibus pro audiendis etiam fœminis?

Reſp. Opinio fuit aliquorum, Regulares approbatos ab Ordinario loci ad audiendas Confeſſiones virorum, poſſe etiam audire Confeſſiones Mulierum de licentia ſuorum ſuperiorum, ſed talis opinio, quia eſt tenuis, ſeu dubiæ probabilitatis poſt *Conſt. Clem. X. ſupracitatam*, meritò, ut damnata reiicitur; neque Eccleſia ſupplet juriſdictionem Confeſſarii, qui utitur opinione docente, approbatum ad Confeſſiones virorum dumtaxat poſſe eligi virtute Bullæ Cruciatæ ad Confeſſiones Mulierum, etiam Monialium.

116. Quæritur. An idem ſit, Sacerdotem eſſe approbatum ad Confeſſiones audiendas, ac habere juriſdictionem in pœnitentes?

Reſp. Negative, nam diverſa ſunt approbatio, & juriſdictio, illa aliud non eſt, quàm teſtimonium, quo Sacerdos habilis, & idoneus judicatur ad excipiendas Confeſſiones; hæc verò eſt poteſtas ferendi ſen-

tentiam in ſubditum, quam Sacerdos ex vi puræ approbationis non recipit.

117. Quæritur. An examen idoneitatis Regularium, non ſolùm quoad ſcientiam, ſed etiam quoad mores ſpectet ad Epiſcopum?

Reſp. Spectare utique, nam ità conſtat *Ex Clementina citata, quæ incipit: Superna &c.* Videatur Bulla.

CONFESSIO.

118. QUæritur. An qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ annuæ Confeſſionis?

Reſp. Extat propoſitio affirmativa 14. inter damnatas ab Alex. VII. & juremeritò, quia, qui ſic confitetur, non adimplet rem præceptam, etenim tam Chriſtus, quàm Eccleſia præcipiunt Confeſſionem veram cùm neceſſario dolore, propoſito, & abſolutionis receptione, qui autem ſua culpa invalidè confitetur, non verè confitetur, immò peccat peccato omiſſionis non adimplendo præceptum, & peccato commiſſionis ſacrilegium committendo per Confeſſionem invalidam.

119. Quæritur. An ſatisfiat præcepto Eccleſiæ per Confeſſionem validam quidem, ſed informem ex defectu doloris extenſivi, ut contingit, quando quis habens duo peccata, puta furti, & homicidii, dolet attritione ſupernaturali de ſolo homicidio, & invincibiliter oblitus de furto, ſolùm confitetur homicidium, & de eo abſolutionem obtinet?

Reſp.

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia Eccleſia præcipit tantùm ſuſceptionem hujus Sacramenti, non verò ejus fructum, modò pœnitens bona fide Sacramentum ſuſcipiat, credens ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum, quare ſicut ſatisfacit præcepto Eccleſiæ audiendi Miſſam, qui illam audit in ſtatu peccati mortalis, non percipiendo ejus fructum, quia non præcipitur fructus Miſſæ, ſed ejus auditio, quamvis præcipiatur ob fructum, tanquàm ob finem etrinſecum præcepti, qui ſub præceptum non cadit, ita in caſu noſtro.

120. Quæritur. An præcepto Communionis Paſchalis ſatisfiat pariter per Communionem validam, & informem, quæ contingit, quando quis oblitus invincibiliter alicujus mortalis commiſſi accedit ad Sacramentum Euchariſtiæ cum aliis actibus virtutum citra dolorem peccatorum?

Reſp. Satisfieri, ſi fidelis credens ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum, bona fide accedat ad Sacramentum, quòd reverà ſacrilegè non ſuſcipit, immò eſt probabile, quòd ſi is accederet cum attritione ſupernaturali haberet virtute hujus Sacramenti vivorum primam gratiam, undè Sacramentum eſſet formatum.

121. Quæritur. An Meretrices, publici uſurarii, & alii ſimiles, qui ſua peccata confitentur, ſed occaſiones proximas deſerere nolunt, ſatisfaciant Confeſſionis præcepto?

Reſp. Negativè, nam hi, aliivè, qui in proxima occaſione peccandi voluntariè verſantur, voluntariè etiam faciunt Confeſſionem nullam, atque adeò præcepto Con-

ſeſ-

feſſionis minime ſatisfaciunt, quamvis à Confeſſario indocto, aut ſacrilego abſolvantur; ſi verò occaſio proxima eſſet involuntaria, & relinqui non poſſet citra gravem infamiam, vel ſcandalum, tunc pœnitens, concurrentibus circumſtantiis *in V. Occaſio proxima notatis*, abſolvi poſſet; & ſic dicto præcepto utique ſatisfaceret.

122. Quæritur. An dicto præcepto ſatisfaciat, qui facit Confeſſionem nullam, non culpa ſua, ſed Confeſſarii carentis juriſdictione, vel abſolventis abſque debita intentione?

Reſp. Affirmativè, ſi defectus Confeſſarii hic, & nunc non ſint noti pœnitenti; ratio eſt, quia is non voluntariè, ſed inculpabiliter fecit Confeſſionem nullam; tenebitur tamen Confeſſionem iterare, ſi poſteà fuerit conſcius de ejus nullitate.

123. Quæritur. An qui toto anni tempore juſta, vel injuſta cauſa præceptum Confeſſionis non implevit, teneatur poſtea, cum primùm poterit, confiteri?

Reſp. Tenetur, nam tempus non eſt appoſitum, ut expiret præceptum ſed ad obligationem ſtatuendam, & ne diutius differatur Confeſſio; & toties peccat, quoties, oblata occaſione, omittit confiteri.

124. Quæritur. An prævidens tempore Paſchali, vel toto anno ſequenti ſibi defuturam copiam Confeſſarii, teneatur anticipatò ſatisfacere huic præcepto?

Reſp. Affirmativè, quemadmodum; qui die feſto prævidet, ſe non poſſe audire ultimum Sacrum, tenetur audire unum ex præcedentibus, quia utrumque tempus videtur reſpici à præcepto, quoad ſubſtantiam

etiam ſpectato; verùm confeſsus extra tempus Paſchale, tenetur etiam tempore Paſchali confiteri, ſi poſſit, quamvis non habeat niſi ſolùm venialia, quæ in praxi probabilior, & tutior ſententia eſt.

125. Quæritur. An qui in Paſchate confeſsus eſt venialia, & poſtea recordatur alicujus mortalis, teneatur iterum confiteri, ut præcepto Confeſſionis ſatisfaciat?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia per Confeſſionem venialium ſatisfecit ſolùm præcepto Eccleſiaſtico, ergo ut ſatisfaciat etiam divino, debet confiteri ea, quorum Confeſſio etiam à Chriſto Domino eſt præcepta.

126. Quæritur. An qui confitetur Regularibus ab Ordinario approbatis dicto præcepto ſatisfaciat?

Reſp. Affirmativè, quia ita declaravit *Clemens X. in ſua Conſtit. quæ incipit: Superna &c.* Nec tenetur iterum confiteri Parochiali Præsbytero.

127. Quæritur. Quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat cum Meretrice, quæ tempore Paſchali accedit ad Confeſſionem, ut ſatisfaciat dicto præcepto?

Reſp. Advertat, an ſit in actuali peccato, & Meretricio, & quatenus invenerit non eſſe, interroget à quanto tempore ceſſaverit à peccato, an domum peccati mutaverit? & alibi extra occaſionem peccandi habitet? Meretricias veſtes dimiſerit? Perſonas de ſua vicina, quibus ſcandalum præbuit, novæ converſationis ædificarit exemplo? ſi litteras amatorias fregerit, imagines amaſiorum alienaverit? an alicujus turpi ſtipendio vivat? ſi hoc ultimum

neget,

negèt, & ſuper cæteris affirmet, videat, an ſe accuſet de peccatis, quoad numerum, ſpecies, & circumſtantias neceſſarias, quantùm poſſibile eſt. Quod ſi petat à Confeſſario, ut interrogationibus pro exacta Confeſſione juvetur, præmiſſis communibus, interrogetur 1. à quanto tempore fuerit in peccato. 2. ſi peccaverit cum habentibus votum Caſtitatis, Uxoratis, & Conſanguineis. 3. ſi modò præpoſtero in vaſe non naturali 4. ſi occidit prolem, & procuraverit abortum. 5. ſi à Religioſis, & filiis familias aliquid reſtitutioni obnoxium accepit. 6. ſi fuit cauſa inimicitiæ, homicidii, & diſcordiarum. 7. ſi ad peccandum adhibuit beneficia, præſertim amatoria, ſuperſtitiones &c. 8. ſi alios, vel alias ad peccandum induxit. 9. interrogetur de impuris cogitationibus, locutionibus, canticis, pollutionibus, commeſſationibus, & potationibus illicitis. 10. de Sacramentis, Miſſis, jejuniis neglectis. 11. de vano, & ſuperfluo ornatu ad alliciendum ad peccandum. 12. ſi cum eſſet infecta gallico morbo alios infecit. 13. de præcepto annuæ Confeſſionis, & Communionis. 14. de ſacrilegiis commiſſis, & de excommunicationibus contractis &c. & inſpecto ejus dolore, & propoſito efficaci non peccandi de cætero, & ſuppoſitis reliquis ad validam, & licitam abſolutionem neceſſariis, eam abſolvat, & in pace dimittat.

128 Quæritur. An qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato, ſatisfaciat annuæ Confeſſionis præcepto?

Reſp.

Reſp. Propoſitio affirmativa 13. expreſsè ab Alexandro VII. eſt damnata, & meritò, quia ex ea ſequerentur innumera incommoda, quilibet enim Regularis poſſet facilè ſe idoneum reputare, & Confeſſiones ſæcularium audire, Prælatis reluctantibus, & ratio præcipua eſt, quia Tridentinum ad hęc incommoda vitanda ſtatuit, ut nullus Regularis poſſet non ſolùm licitè, ſed nec validè Confeſſiones ſæcularium audire abſque Epiſcopi approbatione, revocando privilegia in contrarium; & Urbanus VIII. in Bulla: *Cum ſicut accepimus &c.* ad firmandum ſaluberrimum hoc Trid. præceptum revocavit, & annullavit omnia, & ſingula indulta Regularibus conceſſa audiendi Confeſſiones ſæcularium abſque Ordinarii examine, & approbatione.

129. Quæritur. An ſatisfaciat Confeſſionis præcepto, qui confitetur Sacerdoti Regulari ab ¡Ordinario loci approbato, non autem a proprio Prelato?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia etſi illicitè, validè tamen excipiunt Confeſſiones ſæcularium Regulares ab Ordinario approbati, licèt hoc faciant abſque ſuorum ſuperiorum licentia.

130. Quæritur. An familiares, & continui commenſales Monaſteriorum, qui confitentur Regulari à ſuperiore ſuo, non autem ab Ordinario loci approbato, præcepto dicto ſatisfaciant?

Reſp. Affirmativè, nam ita conſtat *ex Tridentino Cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus, & apertè ex Conſt. Clement. Superna &c.* ubi notandum, quod familiares, & continui commenſales dicuntur Tertiarii S. Fran-

ciſci,

ciſci, oblati S. Dominici &c. Qui panno ejuſdem, quo profeſſi, vel etiam alterius coloris utuntur, intra Monaſterii ſepta habitant, & dormiunt, proindè in eis contraxerunt domicilium, & vivunt ſub obedientia Prælati, non modo religioſo, & ratione voti, ſed modo ſervili; ſæculares verò qui domicilium non contraxerunt in Monaſteriis, ſed eis inſerviunt ſtipendio, & ſalario conducti cum cœteris ſæcularibus exteris connumerantur.

131. Quæritur. An Mulieres tertii ordinis, quæ de pœnitentia vocantur ſatisfaciant dicto præcepto ſi confiteantur Regularibus ab Ordinario non approbatis?

Reſp. Negativè, nam ita in terminis declaravit *S. Congr. Epiſcoporum, & Regularium 20. Decembris 1616.*

132. Quæritur. An habens ſolùm venialia, ſi confiteatur Sacerdoti non approbato eidem præcepto ſatisfaciat?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia Tridentinum pro excipiendis Confeſſionibus exigit abſolutè approbationem, & non diſtinguit, an ſit mortalium, an venialium Confeſſio; confirmatur ex *S. Congr. decreto de Communione quotidiana edito ſub die* 12. *Febr. 1679. ab Innoc. XI. approbato*; ubi dicitur non permittant Epiſcopi, ut venialium Confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti ab Ordinario non approbato &c.

133. Quæritur. An qui confitetur Prælatis Regularibus ab Ordinario non approbatis, vel Lectoribus, aut in Jure, vel Theologia laureatis, cum hi juxta aliquorum ſententiam non indigeant Epiſcopi approbatione ad Confeſſiones audiendas, di-

dicto præcepto ſatisfaciat ?

Reſp. Nequaquam ſatisfacere, ratio eſt; quia tam Prælati Regulares, cum proprie Parochi non ſint, quàm Lectores, ac Doctores in Jure, vel Theologia indigent Ordinarii approbatione, ut conſtat ex Trident. verbis, ac proindè ſententia affirmativa *per S. Inquiſitionis Tribunal. anno* 1640. *fuit reprobata*.

134. Quæritur. An ratione magni concurſus liceat Confeſſionem dimidiare ?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia præceptum divinum integritatis Confeſſionis obligat ad confitendum peccata omnia, quæ ſunt in conſcientia, ut patet *ex Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de Sacram. Pænit.* dum non eſt impoſſibile phyſicè, vel moraliter confiteri omnia, ſed ratione magni concurſus nulla ratio impoſſibilitatis relucet in eo, quòd Confeſſiones longo tempore duraturæ rejiciantur in tempus opportunius: ergo &c. Caſus enim omnes, in quibus D. D. concedunt dimidiari poſse Confeſſionem, reducuntur ad impoſſibilitatem phyſicam, vel moralem, ut ſingulos perpendenti patebit, *lege prop.* 59. *inter damnatas ab Innoc. XI.*

135. Quæritur. An ratione periculi non redeundi ad Confeſſionem liceat eam dimidiare ?

Reſp. Non licet, quia talis circumſtantia non affert impoſſibilitatem moralem faciendi Confeſſionem integram, nam periculum non redeundi oritur à depravata ipſius pœnitentis voluntate, quando tale periculum eſt voluntarium, neque ſi eſset involuntarium poſset dimidiari Confeſſio, nam

nam tunc Confeſſarius, qui videt adeſſe id periculum non redeundi, tenetur audire integrè illam Confeſſionem, quia ſi nolit audire integrè, ne reliquis deficiat locus, & occaſio confitendi, certum eſt, quod præcipua, immò, & tota cauſa dimidiandi Confeſſionem erit ipſe concurſus Confeſſionum.

139. Quæritur. An utrumque ſimul, & concurſus Confeſſionum, & periculum non redeundi ſit ſufficiens cauſa dimidiandi Confeſſionem?

Reſp. Negativè, nam ſi (non obſtante concurſu confitentium) Confeſſarius audiat Confeſſionem integram pœnitentis, diſparet omnis cauſa dimidiandi illam, ſed nulla impoſſibilitas moralis eſt in eo, quod ſtante eo concurſu, audiatur illius Confeſſio integra: ergo nulla impoſſibilitas moralis reſultat, & utroque ſimul.

137. Quæritur. An poſſit dimidiari Confeſſio, cum futurum eſt notabile, quod abſtineant à Communione illi, quorum Confeſſio dimidiatur?

Reſp. Non poſſe, niſi hęc notabilitas tranſeat ad ſcandalum; aut infamiam gravem, & hoc non eſt relinquendum judicio pęnitentis qui forſan ex leviſſima cauſa putabit, ſibi orituram infamiam, ſed judicio Confeſſarii prudẽtis gravitas infamię, aut ſcãdali pẽſanda eſt.

39. Quæritur. An poſſint Confeſſionem dimidiare ruſtici, & peregrini, cum accedunt bona fide, & cognoſcit Confeſſarius, eos non eſſe ſufficienter inſtructos, neque examinatam eorum conſcientiam, ſi inſtat tempus diſcedendi, & multitudo pœnitentium non permittit Confeſſarium melius inſtruere?

Reſp.

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia ea propoſitio ultra circumſtantiam concurſus pœnitentium, ſolùm addit circumſtantiam, quod inſtat tempus diſcedendi, & hoc non affert impoſſibilitatem moralem faciendi Confeſſionem materialiter integram, & tunc ſola poterit dimidiari Confeſſio in propoſito caſu, quando ſuperaddantur aliæ cirſtantiæ, nempè pœnitentis ruditas, ſtoliditas, & incapacitas examinandi conſcientiam ſuam, periculum animæ peregrini, qui fortaſsè tranſacta hac occaſione non poſſit, niſi tranſacto tempore diuturno redire ad Confeſſionem, item quod Confeſſarius ſuis interrogationibus pœnitentem adjuvet, ita ut talis pœnitens confiteatur quicquid recordatur adjutus à Confeſſario, & quod hoc examen factum per præfatas interrogationes ſi non poſſit exactè perfici quia Confeſſarius opprimitur multitudine Confitentium, abſolvatur, cum onere accedendi iterum ad Confeſſionem cum majori examine à ſe, vel à Confeſſario per interrogationes faciendo; quæ ultima circumſtantia ſic intelligitur, ut Confeſſarius oppreſſus, & fatigatus ea multitudine non ſit aptus ad faciendas interrogationes tam exactè, & attentè, ac ſi non habuiſſet tantum laborem.

139. Quæritur. An ſi in die alicuius feſtivitatis unus tantùm ſit Confeſſarius, & pœnitens bona fide Confeſſionem inceperit per horas protrahendam, ita tamen, ut non poſſit vitare ſcandalum, ſi deindè non communicet, & niſi dimidietur Confeſſio, etiam omnes alii abſque Confeſſione, & Communione diſcedent, an inquam in

tali

tali caſu licitum ſit Confeſſionem dimidiare, ne alii hoc bono ſpirituali priventur?

Reſp. Si non ſolùm ſit ſcandalum, aut infamia, ſi pœnitens ſine abſolutione dimiſsus non communicet, ſed etiam ſit ſcandalum, aut infamia ipſa protractio Confeſſionis ad horas, dum alii diu expectantes fremunt, impatienter ſuſtinent, ſiniſtrè judicant, in tali caſu poteſt Confeſſio dimidiari ad ſcandalum vitandum, ſicut omnes docent, quod poſſit Confeſſio dimidiari ad vitandum ſcandalum, quando Parochus detulit Sacrum Viaticum Moribundo, & dum vult ille reconciliari, videt Confeſſiones præteritas eſse neceſsariò repetendas, nec poſse id fieri ſine magna populi expectantis admiratione: vel nullum adeſt ſcandalum, aut infamia, per hoc quòd pœnitens diu protrahat Confeſſionem, ut paſſim accidit, ſed ſolùm habetur querela illa pœnitentium; quòd non poſſint illi confiteri, & hæc non eſt ſufficiens ratio Confeſſionem dimidiandi; quare ad ſummum poterit pœnitenti ſuaderi, quòd ad vitandas aliorum querelas recedat ſine abſolutione, ac deindè redeat, tanquam manifeſtaturus peccatum aliquod oblitum, & interim det locum aliis.

140. Quæritur. An ſuperior, auditis tantùm reſervatis, poſſit abſolvere Sacramentaliter pœnitentem, & remittere illum aliis Confeſſariis pro abſolutione à non reſervatis?

Reſp. Non poſſe, ratio eſt, quia non datur ratio per ſe loquendo ſufficiens, cur poſſit ſuperior abſolvere Sacramentaliter pœni-

pœnitentem dimidiatè, hoc eſt à reſervatis tantùm; poteſt enim ab excommunicatione extra Sacramentum abſolvere, ac tollere reſervationem, & ſic remittere pœnitentem, ut ab inferiori à reſervatis ſimul, & non reſervatis Sacramentaliter abſolvatur.

141. Quæritur. An poſſit dimidiari Confeſſio aperiendo inferiori ſolùm non reſervata, quando non poteſt adiri ſuperior propter reſervata, idque non ſolùm quando hoc expedit ad vitandum ſcandalum, aut infamiam, ſed etiam ne quis per longum tempus differat Confeſſionem, & Communionem?

Reſp. Affirmativè, ſi longa temporis mora interjicienda eſt, antequam ſuperior adiri poſſit, ratio eſt, quia ſicut dimidiari poteſt Confeſſio ad vitandum ſcandalum, aut infamiam, eo quod præceptum de integritate Confeſſionis non obliget cum gravi incommodo, ita dimidiari poteſt Confeſſio in caſu adducto, eo quòd graviſſimum incommodum ſit diu carere gratia Sacramentali remiſſiva peccatorum, & auxiliis gratiæ ad vitanda peccata in poſterum, necnon gratia Euchariſtica, præſertim, quia peccatori diù in ſtatu peccati mortalis degenti difficilis eſt contritio, undè periculum mortis, & æternæ damnationis non eſſet remotum, ad quòd vitandum poteſt dimidiari Confeſſio, aut aperiendo inferiori tantùm non reſervata, aut aperiendo omnia; ita tamen ut abſolutio a reſervatis ſit ſolùm indirecta, atque adeò cum onere comparendi coram ſuperiore.

142. Quæritur. Quanta debet eſſe hæc temporis mora, quæ ſufficiat, ut poſſit inferior abſolvere pœnitentem directè à non reſervatis?

Reſp. Quamvis nonnulli doceant ſufficere ſpatium unius noctis, quia poteſt qualibet noctè periculum mortis, & æternæ damnationis imminere, juxta illud *Lucæ* 12. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*: Communiſſimè tamen hanc ſententiam D.D. rejiciunt, eo quod pariter poſſet ſufficere hora, quia qualibet etiam hora poteſt hujuſmodi periculum imminere; unde hoc temporis ſpatium arbitrio prudentis, ac docti viri decernendum eſt, attentis circumſtantiis perſonæ, diſtantiæ, & impotentiæ adeundi ſuperiorem.

143. Quæritur. An peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, vel ob aliam cauſam teneamur in ſequenti Confeſſione exprimere?

Reſp. Affirmativè, ut patet *ex propoſitione* 11. inter damnatas ab Alexandro VII. quia *ex Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 3. Chriſtus Dominus Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint; ergo ex lege Chriſti Domini ad hóc Tribunal deferenda ſunt omnia mortalia, niſi detur aliquod impedimentum legitimum, quo ſublato obligatio divinæ legis ſtatim urget, atque adeò peccata, quæ aliquando propter oblivionem, aut aliam cauſam omiſſa ſunt, ceſſante hac cauſa, tenemur in alia Confeſſione exprimere, & hic eſt uſus, praxis, & ſenſus Eccleſiæ: Ex quibus ſequitur 1. quod peccatum manifeſtatum in Con-

Confeſſione ut dubium ſe habet inſtar peccati obliti, ita ut ſi deprehendatur deindè ut certum, debeat iterum ſubjici clavibus ut certum: ſequitur 2. quod qui dicit in Confeſſione, ſe decies circiter peccaſſe prout meminit, ſi deindè advertat, ſe peccaſſe undecies, non tenetur iterum illud undecimum peccatum ſubjicere clavibus, quia jam ſubjectum fuit prout erat in conſcientia, atque adeò directè abſolutum; ſed hoc intelligitur ſolùm quando extenditur ad unum, vel duo peccata ſupra numerum indicatum, non autem quando ad plura: ſequitur 3. quod ſi probabilis numerus peccatorum haberi non poſſit, confiteatur tamen conſuetudo, vel frequentia, aut ſaltem tempus, non tenetur quis iterum ſubjicere clavibus numerum certum, de quo recordatur poſtea, quia in illa accuſatione conſuetudinis peccandi, temporis, vel frequentiæ in Menſe, vel in Hebdomada &c. includitur ille numerus, de quo poſtea recordatur, & peccata omnia manent directè abſoluta.

144. Quæritur. An poſſint ſuſtineri duo ſequentes propoſitiones, altera ſcilicèt, quod Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſint, vel invalidæ; altera verò quod Parochus poſſit ſuſpicari de mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis?

Reſp. Supponendo, quod Novatores veluti deplorantes amiſſam antiquam Eccleſiæ ſeveritatem in pœnis infligendis juxta Canones pœnitentiales, ac zelum ſimulantes

invehuntur adverſus Religioſos, & præſertim Mendicantes (à quibus eorum falſa doctrina quàm maximè impetitur) ac docent laxitatem in Sacramento pœnitentiæ à Religioſis inductam eſſe, ut proindè Confeſſiones apud ipſos factæ, ut plurimum vel ſacrilegæ ſint, vel invalidæ, eo quod ob facilem aditum, quem pœnitentes habent ad Religioſos, à quibus leves pœnitentiæ imponuntur, ſæpe deficiat propoſitum non peccandi de cætero ad validitatem Sacramenti, & ad veniam à Deo obtinendam prærequiſitum; Docent præterea, nimiam in pœnitentia imponenda Mendicantium benignitatem oriri ea ſpe ſubſidii temporalis à pœnitentibus obtinendi, ut idcircò poſſit Parochus ſuſpicari, quod ab iis nimis leves, & peccatis longè impares pœnitentæ hac de cauſa imponantur.

His ſuppoſitis dico, quod neutra ex his propoſitionibus poteſt ſuſtineri, nam utraque eſt expreſsè ab Alexandro VIII. damnata; ratio eſt, primò quia conſuetudo Eccleſiæ præſens in adminiſtrando pœnitentiæ Sacramento, etſi benignior, non differt ſubſtantialiter ab antiqua, licèt ſeveriori 2. rigorem antiquum in pœnis infligendis ante adventum Mendicantium Eccleſia remiſit, atque adeo, ſi quis doleat, quod rigidior illa diſciplina exoleverit, non debet id Mendicantibus aſcribere 3. cum Mendicantes maximè omnium idonei ſint ad hoc Sacramentum adminiſtrandum ob diuturnum eorum ſtudium, ob longam experientiam, ob continuam inter doctos, & Doctores his de rebus agentes, conſuetudine, & ob ſpecialem vitæ im-

immaculatæ profeſſionem, ut idcircò innumeris privilegiis à Summis Pontificibus ſint locupletati, ſuſpicari, quod ab iis nimis leves, & incongruæ pœnitentiæ, ſeu ſatisfactiones ob ſpem ſubſidii temporalis pœnitentibus imponantur, eſt graviſſimum peccatum, hominibus piis, ac doctis tam grave ſcelus attribuendò, quod ſcilicet aliorum culpis ob ſpem lucri coniveant.

CONSUETUDO PECCANDI.

145. Quæritur. An detur diſcrimen inter conſuetudinem & occaſionem proximam peccandi?

Reſp. Dari utiquè, nam omnis occaſio proxima plerumque affert conſuetudinem peccandi, quamvis aliquando poſſit eſſe ſine tali conſuetudine; conſuetudo autem peccandi plerumque datur ſine occaſione proxima, ut patet in eo, qui frequenter ſe polluit, pejerat, detrahit &c.

146. Quæritur. An Confeſſario interroganti teneatur pœnitens fateri conſuetudinem peccandi?

Reſp. Tenetur fateri, juxta decretum Innoc. XI. damnantis *prop.* 58. Ratio eſt, quia cum Confeſſarius non poſſit abſolvere pœnitentem niſi rectè diſpoſitum, ad hoc ut abſolvat, debet habere credulitatem ſaltem probabilem de recta pœnitentis diſpoſitione, habet ergo jus inquirendi, an pœnitens habeat propoſitum non peccandi, cum igitur diuturna conſuetudo peccandi ſoleat difficiliorem reddere efficaciam propoſiti, poterit interrogare de tali conſuetudine, & de animo illam amputandi, ut

ita cognoſcat, quale ſit propoſitum pœnitentis, & an ille ſit ritè diſpoſitus; deindè quia Confeſſarius debet conſulere pœnitenti ea media, quæ conducunt ad emendationem vitæ in futurum, ſed inquirere conſuetudinem peccandi maximè conducit, ut prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere: ergo Confeſſarius habet jus interrogandi de conſuetudine, & pœnitens tenetur eam fateri, etiamſi ſit vir doctus, qui facilè ſibi perſuadeat, ſe habere evidentiam de recta ſua diſpoſitione, nam in eo conſcientia laxa fortaſsè decipitur.

147. Quæritur. An pœnitens non interrogatus à Confeſſario teneatur per ſe fateri peccandi conſuetudinem?

Reſp. Per ſe non tenetur, per accidens autem quando conſuetudo eſt novum peccatum propter aliquam ſpecialem rationem, aut eſt occaſio proxima novi peccati, conſuetudinem ipſam eſſe confitendam, certú eſt.

148. Quæritur. An habenti conſuetudinem peccandi mortaliter, & habenti dolorem, & propoſitum emendationis cognitum à Confeſſario, poſſit iſte differre abſolutionem etiam pœnitenti invito?

Reſp. Poſſe, dum Confeſſarius videt, id expedire ad emendationem pœnitentis, & ad majorem firmitatem propoſiti non peccandi de cætero, idque etiam ſi pœnitens renuat, nam Confeſſarius non ſolùm eſt Judex, ſed etiam Medicus ſpiritualis, idcircò poteſt adhibere hoc remedium opportunum differendi abſolutionem ad vitæ emendationem; quod ſi facilè pœnitens non ſit amplius habiturus opportunitatem confitendi,

vel

vel ſi probabiliter credatur, quod ex dilatione abſolutionis facilè in deſperationem merſus in nova ſcelera ſit lapſurus, non eſt differenda abſolutio pœnitenti diſpoſito, atque invito; cum enim in his caſibus dilatio abſolutionis non appareat profutura, ſed potius nocitura, non adhiberetur in medicamentum, ſed in venenum: extra hos caſus, experimento conſtat, quod dilatio abſolutionis per aliquot dies multùm conferat, ne conſuetudinarius in eadem peccata relabatur, qui licèt hìc, & nunc habeat verum dolorem, & propoſitum efficax, & per conſequens habeat jus ad abſolutionem, non tamen habet jus ad illam ſtatim obtinendam. ſic Cathecumenus petens baptiſmum, jus habet ad illum, non tamen ad illum habendum ſtatim, paſſim enim differtur, ut melius inſtruatur, & cum majori diſpoſitione ad illum accedat.

149. Quæritur. An conſuetudinario aſſerenti, ſe habere dolorem, & propoſitum non peccandi de cætero, teneatur credere Confeſſarius?

Reſp. Ut in plurimùm tenetur; quando autem ex alio capite, aut circumſtantiis conſtat, aut prudenter timetur, illum non eſſe ſufficienter diſpoſitum, quantumvis dicat, ſe dolorem, & propoſitum habere requiſitum, non eſt illi credendum; impoſſibile enim eſt, quod aliquis credat cum ſatisfactione dictum unius privati hominis, quando habet indicia, & conjecturas urgentes in oppoſitam partem, & ex parte illius privati hominis nullum aliud eſt motivum, niſi dictum ſimplex illius.

150. Quæritur. An ubi nulla ſpes emenda-

tionis apparet, teneatur Confeſſarius abſolvere peccatorem, etiam non reciduum afferentem, ſe habere dolorem, & propoſitum?

Reſp. Negativè, ſive talis defectus ſpei emendationis ſe teneat ex parte pœnitentis, ſive ex parte Confeſſarii, nunquam poterit iſte licitè abſolutionem impendere, niſi prudenter ſibi perſuadeat, pœnitentem habere propoſitum firmum emendationis, & dolorem de peccatis præteritis; ad hoc autem, ut pœnitens perveniat ad concipiendam ſpem emendationis ſuæ, debet Confeſſarius proponere ei motiva, per quæ melius diſponatur, quod ſi non conſequatur, quamvis dicat pœnitens, ſe habere dolorem, & propoſitum, tenetur negare, aut differre abſolutionem, etiam invito; *lege propoſ. 60. inter damnatas ab Innoc. XI.*

151. Ex dictis ſequitur, ſubiici damnationi dictæ *prop. 60.* quamcumque opinionem, quæ negaverit, Confeſſarium poſſe negare, aut differre abſolutionem, concurrentibus ſimul tribus circumſtantiis, prima, quod pœnitens habeat conſuetudinem peccandi. 2. quod nulla ſit ſpes emendationis. 3. quod ſolo verbotenus afferat pœnitens, ſe dolere, & proponere, ſine eo, quod detur ſignum ſufficiens, quo colligatur, ſe loqui ex animo.

152. Quæritur. An damnationi ſubjaceat ea propoſitio Lovanienſium docens, quod negatio, aut dilatio abſolutionis, ſi ſolùm ſit utilis, & non ſimpliciter neceſſaria, non eſt exercenda in pœnitentem invitum?

Reſp. Quamvis talis opinio ſit falſa, ut conſtat *ex cap. Omnis utriuſque &c.* ubi id ſoli judicio Confeſſarii committit, non tamen

men ſubiicitur damnationi expreſsè, & formaliter, quia ut ex terminis patet, longè diſtat à propoſitione damnata, ſed neque virtualiter, nam ex illa non infertur propoſitio proſcripta.

150. Quæritur. Quomodo poterit Confeſſarius ſe gerere ad formandum judicium prudens de diſpoſitione requiſita pœnitentis; ut illum licitè abſolvere poſſit?

Reſp. Poterit prudenter judicare, pœnitentem eſſe ſufficienter diſpoſitum, eumque licitè abſolvere, ſi concurrat aliqua ex circumſtantiis ſequentibus 1. ſi in præteritis Confeſſionibus pœnitens non fuerit à Confeſſariis admonitus de ſuo periculoſo ſtatu, & in præſenti monita, & correctiones libenter ſuſcipiat, pœnitentias acceptet, ac culpas ſuas ex animo deteſtetur 2. ſi cum lacrymis, ſuſpiriis, vel aliis veri doloris ſignis non ordinariis confiteatur. 3. ſi ex Concionibus, Miſſionibus, morte improviſa, vel alio fatali caſu commotus, & compunctus ad Confeſſionem accedat 4. ſi poſtquam fuit à Confeſſariis admonitus diligentiam adhibuerit ad vitanda peccata, & peccatorum occaſiones, & de facto ſe emendaverit, rariſſimè peccando 5. ſi ſponte confiteatur, id eſt, ſi non urgeatur à Patre, Matre, Præceptore, Pædagogo, præcepto Eccleſiæ, Congregatione, Confraternitate, vel conſuetudine confitendi feſtivo die &c. Sed à ſolo deſiderio juſtificationis, ac emendationis culparum. 6. ſi in articulo, vel periculo mortis probabili fuerit conſtitutus.

154. Quæritur. An in articulo mortis poſſit licitè impendi abſolutio, etiamſi dubite-

bitetur de vero pœnitentis propoſito, dummodò non conſtet illud abeſſe?

Reſp. Affimativè, ratio eſt, quia non poteſt Confeſſarius in illo articulo melius certiorari, ſed tunc abſolutio ſub conditione conferenda eſt videlicèt: ſi ritè es diſpoſitus: *ego te abſolvo &c.*

155. Quæritur. An ad ſuſcipiendum pœnitentiæ Sacramentum requiratur contritio perfecta?

Reſp. Negativè, nam ſufficit attritio ſupernaturalis, & hæc doctrina eſt omninò certa, & indubitabilis propter definitionem Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *in hæc verba: Quamvis ſine Sacramento &c.*

156. Quæritur. An ſaltem in articulo mortis requiratur contritio perfecta?

Reſp. In articulo mortis pro valore, & efficacia Sacramenti pœnitentiæ non requiri contritionem perfectam, ſed ſufficere attritionem ſupernaturalem; Ex alio vero capite requiritur perfecta contritio, ex charitate formata, quia cum homo in eo articulo non ſit certus, eam attritionem ſupernaturalem, qualis requiritur ad Sacramentum, à ſe eſſe elicitam; actus autem dilectionis Dei ſuper omnia reddat illum omninò ſecurum pro ſalute æterna conſequenda, ideò ad hanc ſecuritatem requiritur contritio charitate formata, maximè, cum non habeat omnimodam evidentiam, aut certitudinem de valore ſui baptiſmi, neque de valore ordinis Sacerdotis illum abſolventis.

CO-

157. QUæritur. Quot ſit fines propter quos licet, aut non licet vacare Copulæ Conjugali?

Reſp. Eſſe ſeptem, nempè bonum prolis, redditio debiti Coniugalis, ſignificatio Chriſti cum Eccleſia, aut cum humana natura, ſanitas corporis, vitatio fornicationis, voluptas, & finis alius quilibet extraneus.

158. Quæritur. Qualis ſit finis primarius, ad quem contractus Matrimonii inſtitutus eſt à natura?

Reſp. Eſſe bonum prolis in ordine ad conſervandam ſpeciem, ſed quia etiam eſt Sacramentum, qua tale eſt inſtitutum ad generandam prolem in ordine ad glorificandum Deum, alioquin erit peccatum veniale.

159. Quæritur. Quomodo ſit licitum uti Copula Conjugali.

Reſp. Licere uti tali Copula propter prædictum finem primarium, aut etiam propter fidem Matrimonii, ideſt propter implendam obligationem ex juſtitia reddendi debitum.

160. Quæritur. An liceat vacare Copulæ Coniugali ſolùm propter finem vitandæ incontinentiæ?

Reſp. Si ſit propter vitandam incontinentiam alterius Coniugis, certum eſt, in eo nullum eſſe peccatum, quia in eo fine invenitur fides Coniugii, ſivè redditio debiti Coniugalis, ſi verò Coniux vacet Copulæ ſolùm propter vitandam incontinentiam, aliqui culpam venialem, alii nullam eſſe affirmant.

161. Quæritur. An liceat vacare Copulæ Coniugali ſolùm propter ſanitatem?

Reſp. Qui indiget eo medio ad ſanitatem, & intendit finem primarium, & ſimul ſanitatem adhibendo tale medium, nullum peccatum committit, ſi autem intendit ſanitatem dumtaxat, omittendo finem primarium, in hac omiſſione peccat venialiter.

162. Quæritur. An ſit licitum vacare Coniugali Copulæ propter ſolam voluptatem?

Reſp. Eſſe damnatam ab Innoc. XI. *cum propoſitione* 9. opinionem, quæ negat, Copulam Coniugalem habitam propter ſolam voluptatem carere omni culpa, etiam veniali, & ſufficiens motivum eſſe cenſetur pro damnatione illius, quod SS. Patres doceant oppoſitam ſententiam; ſi verò vacetur dictæ Copulæ propter voluptatem, tanquam propter finem ſubordinatum fini primario Matrimonii in ordine ad generationem, nulla omnino interveniet culpa, nam qui ſic operatur, ſequitur ordinem naturæ, quæ deſtinavit voluptatem Copulæ ad reddendam faciliorem generationem prolis, & conſervationem ſpeciei; & ex his patet, eſſe peccatum veniale uti Copula Coniugali propter finem aliquem matrimonio extraneum, v. g. propter conſequendum à Coniuge aliquod donum &c.

163. Quæritur. An poſſint aliquando Coniuges in Copula Coniugali mortaliter peccare?

Reſp. Affirmativè, & 1. ſi ſemen ſcienter, & voluntariè extra vas effundant, quia eſt contra finem generationis. 2. ſi in actu generationis mente ad alia objecta divertant,

tant, ita ut vir aliam mulierem, & mulier alium virum deſideret, quod eſt in Confeſſione aperiendum cum objecto cogitato. 3. ſi vir in vaſe præpoſtero uxorem cognoſcat, etiam cum animo conſumandi in debitò vaſe, magna enim indecentia in Matrimonio apparet 4. ſi luxuriis prohibitis ſe faciant impotentes ad reddendum debitum, nam præbent cauſam ruinæ ſpiritualis. 5. ſi aliquid faciant, per quod Conceptionem impediant, etiam ſi de facto non inpediatur, quia per eos non ſtat, quin impediatur 7. ſi habens votum caſtitatis debitum petat abſque diſpenſatione, quod tamen poteſt, & tenetur reddere &c.

164. Quæritur. An qui habuit Copulam cum ſoluta, ſatisfaciat Confeſſionis præcepto dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando Copulam?

Reſp. Nequaquam ſatisfacere, ut conſtat *ex propoſ.* 25 inter damnatas ab Alexandro VII. Ratio eſt, quia quamvis juxta probabiliorem ſententiam non teneamur in Confeſſione aperire circumſtantias peccati aggravantes, ſed ſolùm numerum, & circumſtantias ſpeciem mutantes; nihilominus ita numerum peccatorum tenemur explicare, ut unumquodque explicandum ſit ſecundùm individuationem ſuam, ſi ea individuatio ſpeciali modo participet malitiam ſpecificam peccati: v. g. licèt non teneamur aperire, num peccatum commiſſum contra Caſtitatem diu duraverit, num fuerit intenſum, nec explicandum ſit, num Copula hoc, vel illo ſitu fuerit commiſſa, eo quod hæc ſpectant ad circumſtantias, non ad ſub-

ſtantiam actus; explicanda tamen eſt diverſitas actuum qui diverſimodè ſpeciem peccati participant, atque adeo explicandum eſt, num peccatum patratum cum ſoluta contra Caſtitatem fuerit merus tactus, an fuerit Copula, cum hujuſmodi duo actus in æſtimatione morali diverſimodè contrahant eandem ſpeciem luxuriæ.

165. Quæritur. An qui habuit Copulam completam cum Berta, ſatisfatiat præcepto Cofeſſionis, dicens: incepi Copulam cum fœmina?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia licèt Copula incepta, & Copula completa ſint in eadem ſpecie peccati, diverſimodè tamen ejus malitiam participat Copula Completa, ideoque individuatio ipſius explicanda eſt; ſimiliter qui incepit Copulam, & ab ea deſtitit, effunditque ſemen extra vas, tenetur hanc circumſtantiam exprimere, quia eſt ſpecies diverſa.

166. Quæritur. An in peccato ſodomiæ explicanda ſit circumſtantia agentis, vel patientis, vel an ſufficiat dicere: peccavi ſodomiticè.

Reſp. Explicandam eſſe circumſtantiam agentis, vel patienti, eo quod in æſtimatione morali diverſimodè contrahat malitiam ſpecificam peccati ſodomitici peccatum agentis, ut potè ſe polluentis, quàm peccatum patientis non ſe polluentis, ideoque non ſufficiet in Confeſſione dicere: peccavi ſodomiticè.

167. Queritur. An tactus antecedentes Copulæ illicitæ, ac ſubſequentes neceſſariò ſint in Confeſſione exprimendi?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia explicata Copula ſufficienter explicantur & tactus, ſi

verò

verò illi, qui Copulæ ſubſequuntur, fiant cum animo ipſam iterandi, tunc opus erit, eos in Confeſſione exprimere.

168. Quæritur. An damnationi ſubjaceat opinio aſſerens: Catholicum, qui Copulam habuit cum fœmina hæretica, hebræa, vel pagana, non teneri talem circumſtantiam in Confeſſione explicare?

Reſp. Quamvis talis opinio nec expreſsè, nec virtualiter ſit damnata, nihilominus à praxi omninò eſt reiicienda, ratio eſt, quia ea Copula addit actui fornicationis malitiam irreligioſitatis, quatenus per illam operatur directè contra reverentiam Chriſtianæ Religionis, in cuius honorem prohibita eſt ab Eccleſia carnalis coniunctio cum infideli.

169. Quæritur. An qui per totam noctem dormivit cum Muliere, ſatisfaciat Confeſſionis præcepto dicendo: dormivi per totam noctem cum amaſia, & feci quod volui?

Reſp. Affirmativa opinio ſaltem virtualiter eſt damnata, ratio eſt, quia non exprimitur numerus Copularum, & aliorum peccatorum, quæ fortè commiſſa ſunt dicendo ſolùm: feci quod volui, etenim alii plura, alii pauciora fornicationis, vel pollutionis, aut ſodomiæ peccata committunt.

170. Quæritur. An Eunuchus, ſeu Caſtratus, aut frigidus accuſans ſe de Copula habita cum ſilvia, debeat aperire in Confeſſione circumſtantiam ſuæ impotentiæ ad generandum?

Reſp. Tenetur eam circumſtantiam exprimere, ratio eſt quia talis Copula. cum non ſit ex natura ſua apta ad generationem, transfer-

fertur ad peccatum contra naturam, ſicut eſt pollutio propria, vel aliena procurata, voluntarie, ſed tenetur etiam explicare Copulam, & objectum, cum quo ipſam habuit.

CRIMEN FALSUM.

171. QUæritur. An peccat mortaliter, & contra juſtitiam, qui intra judicium crimen falſum falſo teſti, & accuſatori ad eorum teſtimonium infirmandum, ſive extra judicium ad propriam juſtitiam, & honorem defendendum iniuſto detractori imponit?

Reſp. Ex propoſitionibus 43. & 44. inter damnatas ab Innoc. XI. & ex Comm. D.D. ſenſu conſtat, id eſſe mortale, & contra juſtitiam, ratio eſt, quia mentiri in materia gravi eſt gravis culpa, imponere enim detractori, vel teſti iniquo crimen falſum, eſt proculdubio mentiri in materia gravi; undè fit, quod ſi in nullo caſu licitum eſt mendacium leve, ne ad vitam quidem propriam defendendam, cum ſit intrinſecè malum, à fortiori illicitum erit in quocumque caſu mendacium hoc grave, cum ſit contra juſtitiam, & trahat onus reſtitutionis, ſive in judicio, ſive extra judicium proferatur, nam læditur jus, quod habet ad propriam famam detractor, & iniquus teſtis, ſi imponantur illis falſa crimina, cum hæc in tali caſu ad vindictam, non verò ad defenſionem imponantur.

172. Quæritur. An reus falsò accuſatus poſſit manifeſtare crimen occultum ſui accuſatoris, aut teſtis?

Reſp.

Reſp. 1. ſi manifeſtatio ejus delicti eſt inutilis ad defenſionem rei, peccat reus contra juſtitiam manifeſtando delictum teſtis, vel accuſatoris, variis autem modis poteſt eſſe inutilis ad defenſionem rei ea madifeſtatio. 1. ſi crimen manifeſtandum non eſt ex illis quæ teſtem reddunt inhabilem ad teſtificandum 2. ſi reus id crimen non poſſit probare, nam ſine probatione nihil prodeſt ad defenſionem rei 3. ſi ſit alia via, per quam poſſit ſe defendere ſine manifeſtatione ejus delicti, ratio eſt manifeſta, quia ſola cauſa defenſionis poteſt juſtificare propalationem delicti ejus teſtis, nam ubi non eſt ratio defenſionis, integrum manet jus juſtitiæ, quod habet teſtis, ſeu accuſator ad ſuam famam conſervandam.

Reſp. quando hæc manifeſtatio delicti occulti neceſſaria eſt ad defenſionem rei, licitum eſt reo facere eam manifeſtationem, ratio eſt, quia ſi ei non ſit alia via ſe defendendi, hęc eſt juxta defenſio; immò probabile eſt, quod reus poſſit manifeſtare delictum occultum teſtis, ſeu accuſatoris, non ſolùm quando iſte dicit falſum, ſed etiam quando teſtatur verum, nam teſtis, qui habet illum defectum licèt occultum, inhabilis eſt ad teſtificandum, ideòque reus jus habet excludendi à ſua cauſa teſtes inhabiles; niſi in caſu, quo parvum damnum immineat, reo, teſti autem maximum, tunc enim peccat mortaliter reus, ſaltem contra charitatem, ſi manifeſtet tale delictum occultum teſtis, ſeu accuſatoris.

173. Ex dictis patet, hanc ſententiam

de

de manifeſtatione occulti delicti teſtificantis neque formaliter, neque virtualiter eſſe damnatam, non formaliter quia damnatio non loquitur expreſsè, niſi de eo, qui falſum teſtimonium dicit; non virtualitor, quia hæc ſententia de manifeſtando occulto crimine teſtis non eſt antecedens, undè inferatur evidenter opinio, quod reus poteſt imponere falſum crimen teſti iniquo.

174. Quæritur. An reus poſſit manifeſtare delictum teſtis, quod ſibi commiſſum eſt ex fide ſecreti cum pacto de cælando?

Reſp. 1. Ejuſmodi pactum de ſecreto cælando eſſe iniquum, v. g. ſi ejus ſecretum vergat in damnum grave Reipublicæ, aut tertii, tunc enim pactum non obligat, etiamſi juramento firmetur, quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis; ſi tamèn tale ſit pactum, ut licitè poſſit ſervari, illud obligat jure naturali, & ideo reus non poteſt ſe defendere manifeſtando delictum occultum teſtis, quod ſub peccato renetur cælare, niſi circumſtantiæ aliquæ concurrant, quæ pactum reddant irritum, v. g. ſi gravis iactura honoris, vel aliorum bonorum immineat reo: dico 2. ſi reus ſciat illud delictum, quia ſibi manifeſtaverat teſtis cauſa petendi conſilii, ſtrictius obligatur reus ad cælandum, non ſolùm ex pacto tacito, quod intervenit in potitione conſilii, ſed quia ipſa neceſſitas petendi conſilium facit, pactum ſtrictiori obligationi eſſe. peccabit igitur reus contra juſtitiam, ſi tale delictum manifeſtet: dico 3. Cum per iniuriam cognovit reus eiuſmodi delictum, jure naturali tenetur ad illud cælandum: v. g. ſi contra ius illius aperuit literas ab illo; vel ad illum miſſas, & ex illis cognovit delictum eius,

qua-

quare delictum ſic cognitum per injuriam non poteſt reus manifeſtare pro ſui defenſione, neque enim habet jus ad talem defenſionem: dico 4. ſi vi, vel fraude quis extorſit notitiam criminis occulti, probabiliter poterit illud revelare ad vitanda gravia tormenta, quia quamvis iniuriam irrogaverit exterquendo ſecretum; jus tamen habet deinde revelandi in tanta neceſſitate, ſicut ſi quis furatus eſſet Equum, poſſet eo uti in urgenti neceſſitate, etiam cum interitu Equi.

175. Quæritur An poſſit aliquis ſibi ipſi falſum crimen imponere ad vitanda gravia tormenta?

Reſp. ſi non ſuperaddatur juramentum, eſſe ſolùm veniale ratione mendacii ſibi ipſi crimen falſum imponere, ratio eſt, quia homo eſt ſuæ famæ dominus, non ſecus ac bonorum fortunæ, adeò ut poſſit ad ſui humiliationem propria occulta delicta palam facere, tum etiam quia eſto non eſſet ſuæ famæ dominus, ut non eſt ſuorum membrorum, adhuc poteſt ad vitam ſalvandam famam prodigere, ſicut poteſt brachium amputare, rectus enim ordo habet, ut bona inferioris notæ exponantur pro conſervndis majoribus.

DEFENSIO OCCISIVA.

176. Quæritur An ſit licitum Religioſo, vel Clerico occidere Calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, quando alius modus defendendi non ſuppetit?

Reſp. Opinio affirmativa ab Alexandro VII. expreſsè damnatur cum prop. 17. ratio

eſt,

eſt quia ne laicis quidem licet interficere Calumniatorem, ergo à fortiori non licet Religioſis, vel Clericis, qui honoribus mundanis nuncium remiſerunt, ut veſtigiis Chriſti inhæreant, cujus manſuetudinem, ac lenitatem debent imitari, præſertim quia interficiendo Calumniatorem, famam amitterent potius, quam ſervarent; nunquam proindè licita eſſe poteſt calumniatoris occiſio, cum ſuppetant alii modi calumniam declinandi, quàm per calumniatoris necem, cum hanc nulli privatæ perſonæ unquam proximo inferre liceat, niſi ſervato moderamine inculpatæ tutelæ; moderamen in in hoc conſiſtit, quod major vis non adhibeatur, quàm ſit neceſſaria, aut nulla, ſi alio modo ſe defendere quis poſſit, propterea potens ſe defendere apud judicem, aut minis, vel verbis, non verberet, ſi verberibus, non mutilet, ſi mutilatione, non occidat, & ſi fuga, fugere tenetur, nam ſi excedat, mortaliter peccat.

177. Quæritur. An liceat occidere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo certò imminet iniqua ſententia, ſi alia via non poſſit innocens damnum evitare?

Reſp. Ex propoſ. 18. inter damnatas ab Alexandro VII. conſtat, id non licere, nam eſt non ſolùm jure poſitivo. ſed etiam jure naturali vetitum, ratio eſt, quia defenſio iſta occiſiva accuſatoris, teſtium, & Judicis iniqui eſt immoderata, cum poſſit facilè damnum imminens declinari, adhibendo alios teſtes, appellando, reclamando, & quod ſi non poſſit aliquando damnum impediri, id eſt per accidens, tribuen-

buendumque proprio infortunio, non ſecus ac ſi de Cœlo vita, aut propria bona tangantur; non debuit enim natura propter bonum alicujus privati in aliquo raro caſu permittere hanc defenſionem immoderatam, quæ innumeris cædibus anſam daret, cum quilibet ex paſſione facilè ſibi perſuaderet, accuſatorem, teſtes, ac Judicem infenſos eſſe.

178. Quæritur. An damnata ſit opinio docens, eſſe licitum Viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit?

Reſp. Eſſe damnatam ab Innocentio XI. ratio eſt, quia ut licita ſit defenſio occiſiva, debet conſtare evidenter de moderamine inculpatæ tutelæ, ſed in defenſione occiſiva contra calumniatorem non poteſt conſtare evidenter de tali moderamine, cum ſint alia media ad impediendam calumniam, ut dictum fuit quæſt. 176. ergo non poteſt eſſe licita.

179. Quæritur. An vir honoratus percuſſus alapa, vel fuſte poſſit licitè occidere, repercutere graviter offenſorem injuſtum, etiam fugientem?

Reſp. Eſſe omninò illicitum, ut conſtat ex Evangelio, & eſt expreſsè cum prædicta propoſ. 30. damnatum, licitum tamen eſt alapam impedire cum moderamine juſto.

180. Quæritur. In quibus Caſibus ſit licitum defendere honorem defenſione occiſiva cum moderamine inculpatæ tutelæ?

Reſp. Licitum eſt tueri honorem ferro, & armis in illis caſibus, in quibus honor

im-

impetitur factis ignominioſis. primò; quando maritus utitur defenſione occiſiva contra aggreſſorem honoris uxoris ſuæ, ſi aliter defendere nequeat, quia v. g. talis aggreſſor perſiſtit in uſu gladii, vel fuſtis contra maritum &c. 2. Quandò aggreſſor intentat percuſſionem ignominioſam fuſtis, vel arundinis contra virum nobilem, cui, ut impediat percuſſionem, licitum eſt opponere gladium, quod ſi videns aggreſſor diſtrictum gladium, ſuum opponat denuò, aut alia arma, jam non eſt ſolùm aggreſſor honoris, ſed etiam vitæ, & ideò ſi non poſſit invaſus alia via evadere periculum mortis de novo imminens, poterit uti defenſione occiſiva cum juſto moderamine. 3. Quandò aggreſſor conatur deflorare Virginem, illa enim ſi fugere non poteſt & ſi proclamatio eſt illi inutilis, aut ignominioſa, poteſt ſuum honorem tueri defenſione occiſiva, in quo caſu talis defenſio occiſiva poteſt cotingere, quod fiat propter ſolum honorem Virginitatis; & idem eſt dicendum de ſodomita invaſore pudicitiæ contra virum, qui poteſt licitè ſe defendere ab ea contumelia, defenſione occiſiva, ſi alia via non poſſit, nam ea violentia tanta eſt, & tam gravis, ut licitè poſſit per quodlibet genus violentiæ repelli; prædicti enim caſus, & alii ejuſdem generis admittendi ſunt ab omnibus ex regula: *vim vi repellere licet.*

181. Quæritur An liceat defendere ſe à fure conante unum aureum per vim rapere, & ſi perſiſtat, occidere?

Reſp. Si homo, præcipuè ſi ſit nobilis, portet in manibus rem valoris unius aurei, & fu-

& fur intentat eam rapere de manibus ejus, poteſt rem defendere opponendo gladium, quod ſi fur deſiſtit, non licet illum percutere, ſi verò fur educat gladium, vel fuſtem contra dominum illius rei, jam fur non eſt ſolùm invaſor rei, & honoris, ſed etiam vitæ, quare dominus rei poterit ſe defendere defenſione occiſiva cum moderamine inculpatæ tutæ; hac de re perpende propoſ. 31. tutelæ damnatas ab Innocentio XI.

182. Quæritur Quantus eſſe debeat valor, pro cujus conſervatione poſſit quis uti defenſione occiſiva?

Reſp. Communiſſima D.D. ſententia fert, non poſſe hominem occidi pro conſervatione rei vilis, puta duorum, vel trium, immò nec decem aureorum, quamvis non decernant, quantus debeat eſſe rei valor, ut poſſit licitè defenſione occiſiva cuſtodiri, nam id iudicio viri prudentis decernendum eſt; ratio cur poſſint res magni momenti defenſione occiſiva incolumes ſervari, eſt, quia ſine illis non poteſt juxta proprium ſtatum vita cuſtodiri; ergo ſicut licet vitam defendere, ita etiam bona externa, quæ vitæ ſuſtentationis, & ſtatus, honoriſque conſervationi deſerviunt, cum moderamine tamen debito.

183. Quæritur An in aliquo caſu neceſſitatis liceat uti defenſione occiſiva pro conſervatione unius aurei?

Reſp. Sæpe contingit, quod ratione gravis neceſſitatis unus aureus æquivaleat multis aureis, v. g. ſi fur intentet auferre ab artifice inſtrumentum artis, quod valeat unum aureum, vel argenteum, caſu, quo

non

non poſſit invenire aliud inſtrumentum ſimile, & adſtrictus ſit ab opere ceſſare, atque adeò ſe, & ſuos ſuſtentare nequeat, in hoc caſu non attenditur ad valorem unius aurei, vel argentei, ſed ad detrimentum, quod ex ablatione ei reſultat, poteſt ergo artifex uti quacumque defenſione cum moderamine.

184. Quæritur. An ſit probabilis opinio aſſerens, eſſe licitum defendere occiſiva defenſione ea bona, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus?

Reſp. Eſſe improbabilem, & damnatam ab Innoc. XI. cum prop. 32. primò: quia non licet occidere hominem propter ſolam opinionem probabilem, dato, & non conceſſo, quod ea opinio eſſet probabilis; 2. quia in hoc caſu non eſt evidentia de moderamine inculpatæ tutelæ, cum in Republica ſint deſtinata media ad defendendum jura civium, & quia legibus humanis interdicitur, quod homines privatim defendant jura ad aliqua bona, & jus publicum prævalet juri privato: *Perpende etiam propoſ. 33. ab eodem Pontifice damnatam.*

DENUNCIATIO.

185. Quæritur. An ille, cui evidenter conſtat, Petrum eſſe hæreticum, teneatur denunciare, etiamſi probare non poſſit?

Reſp. Affirmativè, nam oppoſitum eſt expreſsè ab Alexandro VII. cum propoſ. 5. damnatum, ratio eſt, quia hæreſis eſt malum graviſſimum ſimul, & contagioſum, quod

quod opponitur bono fidei, & publicè ſaluti, etenim ex *Apoſt. 2. ad Timoth.* ut cancer ſerpit, & ſua lue alios inficit, ergo ſpecialiſſima illi medela eſt adhibenda, atque adeò etiam ſi probari non poſſit hæreticus, adhuc eſt denunciandus, ſi de ejus hæreſi conſtet, ad hoc (ut accedentibus aliundè aliis notitiis) poſſit Judex de illo inquirere, ut ſtatim lues extinguatur, antequam graſſetur: adde, quod ſolùm accuſator tenetur probare delictum, quia accuſator petit potius jus ſuum, quàm bonum commune, ſecus vero denunciator ex *cap. ſuper, his De Accuſat.*

186. Quæritur. An denunciationi hæretici præmittenda ſit correctio fraterna?

Reſp. Nullatenus eſſe præmittendam, ratio eſt, quia quando imminet periculum multitudini, non habent locum hæc verba Domini: *ſi peccaverit in te frater tuus &c.* nam tunc frater peccans non peccat in te tantùm, maximè quia ſperandum non eſt, quod qui auſus eſt ſe opponere Eccleſiæ univerſali, corrigatur per ſecretam monitionem unius, itaque nulla admonitione, aut fraterna correctione præmiſſa, hæretici ſunt denunciandi tam manifeſti, quàm occulti; & idem dicendum de alliis criminibus, quæ hæreſim ſapiunt.

187. Quæritur. An hæreticus emendatus ſit denunciandus?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia hæretici fingere poſſunt ſe emendatos, & non eſt eis credendum, ſi affirment, ſed neſſarium eſt, ut innoteſcat Judicibus fidei, ut ad juris remedia procedant, nam finis denunciationis non eſt ſola emendatio, ſed

etiam

etiam punitio delinquentis, ut metu pœnæ facilius ipſe, & alii ab eo crimine retrahantur.

188. Quæritur. An ſciens ſub ſecreto, etiam jurato, aliquem eſſe hæreticum, teneatur denunciare?

Reſp. Teneri, nec obſtat ſecretum (excepto Sacramentali) neque juramentum; non ſecretum, quia hujuſmodi eſt merè humanum naſcens ex privato pacto tacito, vel expreſſo inter loquentem, & audientem, & adeò non poteſt præjudicare legi ſuperioris præcipientis denunciationem pro bono publico; non juramentum, quia juramentum *juxta regulam* 58. *Juris in 6.* non eſt obligatorium contra bonos mores, nec de illicitis obligat, cum non ſit vinculum iniquitatis.

189. Quæritur. An audiens à fide dignis, aut ab aliis levibus perſonis, aliquem eſſe hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, teneatur denunciare?

Reſp. Quamvis opinio negativa damnata non maneat. communis tamen, & certa ſententia eſt, eſſe denunciandum. ſi à fide dignis audiatur; Edictum enim S. Officii hoc præcipit, ut ſi quis ſciverit, vel audiverit ea delicta, denunciet; ſi tamen à levibus perſonis accipiatur, nonnulli negant, alii probabilius affirmant, eſſe denunciandum, quia in eo edicto abſolutè, & ſine limitatione præcipitur ſub excomm. ut ſi quis ſciverit, vel audiverit ea delicta, denunciet, quippè quæ vergunt in damnum publicum chriſtianæ Reipublicæ, ac proineè in eo Tribunali admittuntur teſtes aliàs inhabiles *ex cap. in fidei favorem De hæreſi in 6.*

nem-

nempè mulieres, minores, conſanguinei, infames, excommunicati, perjuri &c.

190. Quæritur Quænam ſint delicta Inquiſitoribus denuncianda, præter hæreſim?

Reſp. Eſſe omnia, quæ hæreſim ſapiunt: præcipua ſunt; Apoſtaſia à fide, Blasphemia hæreticalis, ex iracundia percutientes ſacras imagines, Divinatores Magi, Sortilegi, Malefici, Aſtrologi judiciarii, & omnes, qui cum pacto expreſſo, vel tacito dæmonis aliquid operantur, Sacerdotes non conſecrantes, vel non Sacerdotes Celebrantes, aut Confeſſiones excipientes, etiam ſi verba conſecrationis, vel abſolutionis non proferant, Confeſſarii ſollicitantes, vel ex malitia non declarantes perſonæ ſollicitatæ obligationem denunciandi, receptatores, & fautores hæreticorum, impedientes quovis modo S. Officium, & his ſimilia; legatur edictum S. Inquiſitionis.

191. Quæritur An ſi denuncianti immineat periculum vitæ, famæ, aut amiſſionis magnæ partis bonorum temporalium, poſſit excuſari à denunciatione facienda?

Reſp. Si omiſſio denunciationi vergat in damnum fidei, nullatenus poteſt denunciatio omitti, etiam cum vitæ periculo; ut ſi hæreticus dogmatizet, & animas ſeducat, ſi maleficia multùm noceat Reipublicæ, animas ſeducendo, & corpora offendendo, nam quilibet pro patria tenetur ponere vitam, idque debet Confeſſarius pœnitenti ſignificare, & cuicumque periculo poſſe per S. Officium provideri: quando autem delictum non eſt hæreſis formalis, ſed ſolùm ſapiens hæreſim, tunc poterit quis à

denunciatione excuſari, ſi grave malum timeat, puta mortem, vulnera, jacturam famæ, vel honoris, aut magnæ partis bonorum, aut ſi ea proximè eventura probabiliter credat ſuis conſanguineis, vel affinibus uſque ad 4. gradum; cavendum tamen eſt, ne quis trepidet timore, ubi nullus eſt timor, ut paſſim contingit.

192. Quæritur An in denunciatione hæretici formali facienda detur perſonarum exceptio?

Reſp. Non dari, nam uxor maritum, filius Patrem; Soror fratrem & è converſò, denunciare tenentur, ut colligitur *ex Deuteron. 13. ubi dicitur; ſi tibi perſuadere voluerit frater tuus, fillus, uxor, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam, clam dicens; eamus, & ſerviamus diis alienis, non miſerearis, aut occultes eum*: Aliqui tamen probabiliter putant, & tunc ſolùm filium, uxorem, ſororem &c. ad id teneri, ſi Pater, maritus, vel frater dogmatizarent, & alios hæreſim docerent, cum enim tunc teneantur etiam cum diſcrimine vitæ à fortiori ad id tenentur cum infamia, & punitione Patris &c.

193. Ex quibus fit pariter, denunciandum eſſe Hæreticum dogmatizantem etiam à complice delicti, quamvis aliquatenus tunc ſeipſum prodat; in aliis vero delictis ab hæreſi formali probabile eſt, quod nemo teneatur complicem manifeſtare propter periculum propriæ infamiæ, excepto crimine ſollicitationis ad turpia; nam in tali caſu eſt omninò certum, fœminam, vel maſculum ſollicitatos teneri ad denunciandum Confeſſarium ſollicitantem, quam vis

ipſi

ipſi conſenſerint, & fuerint complices; vel etiam ſollicitantes, eſto non debeant ſuum conſenſum prodere, nec de eo interrogari.

194. Quæritur Quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat cum obligatis ad denunciandum?

Reſp. Animadvertat, an ex non denunciatione inciderint in fautoriam, credentiam, vel receptione hæreticorum in ſubſidium hæreſis, quia tunc tales ligantur excommunicatione Bullæ Cænæ, à qua abſolvi nequeunt, niſi ab habente ad id facultatem; idem dicendum, ſi non denunciantes omiſerint denunciare per totum tempus ab edicto S. Inquiſitionis taxatum, etiam ſi fautores hæreticorum non ſint; excomm. S. Officio reſervatam incurrunt, niſi eos excuſet ignorantia

195. Quæritur An eos poſſit Confeſſarius abſolvere, antequam actu denuncient?

Reſp. Eſſe diſtinguendum, ſi perſonæ ſint fide dignæ, & Confeſſario bene notæ, de quarum fidelitate non dubitet, & alteri Confeſſario id non promiſerint, ac onus denunciationis ignoraverint, firmum propoſitum denunciandi ſufficiet; ſi vero ſint perſonæ ordinariæ, de quarum fidelitate dubitare probabiliter poteſt, curare omninò debet, ut denunciatio abſolutioni præcedat, niſi communicandi urgeat neceſſitas, quia tunc cum firmo propoſito adimplendi obligationem, poterit impendi abſolutio.

196. Quæritur An Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, cenſeatur ſollicitaſſe

in Confeſſione, ac proinde ſit denunciandus?

Reſp. Opinionem negativam expreſsè damnavit Alexander VII. cum propoſ. 6. & meritò, quia traditio hujus chartæ ad malum provocativa irrogat injuriam Sacramento, in quo Sacrilegium graviſſimum à Confeſſario committitur, præterea reddit Sacramentum fidelibus odioſum, cum in eo paretur animarum ruina, & quamvis pœnitens tunc temporis à veneno illo non interficiatur, haurit tamen illud quod poſt modum vitam ſpiritualem tollere tentabit; immò fortè gravius nocet, quàm ſi immediatè Confeſſarius ſollicitaret, tunc enim fœmina inſtructa propoſito non peccandi de cætero, facilè Sathanam repellet, quando vero remiſſo fervore charitatis tentatur, facilius conſentit; hinc non minus eſt denunciandus, ſi per chartam poſt modum legendam ſollicitet, quàm ſi immediatè; & ſollicitationis pariter eſt reus, ſi famulo occaſione Confeſſionis det hujuſmodi chartam fœminæ, vel mari deferendam.

197. Ex dictis ſequitur, denunciandum eſſe Confeſſarium, qui immediatè poſt confeſſionem diceret fæminæ animo iniquo, quod redeat ad chirographum Confeſſionis accipiendum; aut ſi poſt immediatè peractam Confeſſionem ſollicitaret puerum in Cellam, vel in domum ductum titulo dandi chirographum, vel qui pœnitentem ſollicitat, dum ad genua procumbit, nolens confeſſionem audire, nec abſolvere, vel qui prætextu Confeſſionis, aut extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut

in

in loco quocumque ubi Confeſſiones audiuntur, vel ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulans ibidem Confeſſionem audire, ſollicitat fœminas, ſivè mares, vel cum eis actus, aut ſermones inhoneſtos habet &c. legatur *Bulla Gregor. XV. incip. Univerſi Dominici gregis &c.*

198. Quæritur An ſi ſollicitatus confiteatur cum Confeſſario ſolicitante, poſſit ab eodem abſolvi abſque onere denunciandi?

Reſp. Negativè, ut patet ex decreto Alexandri VII. damnantis propoſ. 7. & ratio eſt, quia Confeſſarius, ſi velit prudenter operari, nullum incommodum ſubit monendo pœnitentem de obligatione iſta denunciandi, atque adeo tenetur monere: dixi: ſi velit prudenter operari, ſaniſſimum enim conſilium eſt ſeipſum deferre ad Tribunal S. Inquiſitionis, antequam deferatur, ut omnem omnino pænam declinet: Deinde, dato quod non teneatur Confeſſarius monere adverſus ſeipſum, in tantùm poſſet pœnitens eſſe immunis ab onere denunciandi, in quantùm ignoraret hanc obligationem immediatè ortam à lege Pontificia, non à voluntate Confeſſarii, qui proinde hujuſmodi onus non debet imponere, ſed ſolùm declarare, & monere ſuos pœnitentes, ut ſi ab aliquo Confeſſario ſollicitati fuerint, denuncient ſollicitantem. quare ſtatim ac innotuerit pœnitenti ea obligatio, tenebitur independenter à qualibet monitione Confeſſarii denunciare; eo prorſus modo, quo ſi Confeſſarius omittat docere pœnitentem de obligatione, quam ha-

bet reſtituendi, in tantum poſſet eſſe immunis ab hoc onere, in quantum bona fide invincibiliter ignoraret legem naturalem obligantem ad reſtitutionem, ubi tamen ea innotuerit, independenter à qualibet monitione Confeſſarii, tenebitur reſtituere; ita pariter, ſi Confeſſarius ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter omittat docere pœnitentem de obligatione, quam habet denunciandi, adhuc pœnitens obligabitur, ſi aliunde notam habeat legem pontificiam.

199. Præter hanc exploſam, & damnatam, plurimæ aliæ viæ excogitatæ ſunt à D. D. ad eximendam perſonam ſollicitatam ab onere denunciandi, videlicet, ſi ſollicitans non ſit diffamatus, aut ſi ſollicitatio ſit occculta, & ſit ſpes emendationis præmittendo correctionem fraternam, etiam ſi dubium ſit an correctio ſit profutura; nec teneri alium à ſollicitata, etiamſi ille audierit à fidedignis, nedum à perſonis levibus; neque dari obligationem denunciandi, ſi ſollicitatio ſciatur ſub ſecreto naturali, vel juramento; neque ſollicitatam teneri denunciare, ſi ipſa conſenſerit, aut ſi prius ſollicitaverit Confeſſarium, tanquam delicti complex, docuerunt permulti: excuſant alii, ſi Confeſſarius fuerit maximus benefactor, aut amicus ſollicitatæ; ſi ceſſet præſumpio in pœnitente, quòd Confeſſarius malè de fide ſentiat, necnon ſi Confeſſarius ſit bonæ vitæ, & Converſationis, & ſolùm ſemel, aut iterum eandem perſonam ſollicitaverit. Refugit animus alias erroneas opiniones adducere, quæ omnino aditum ad Tribunal S. Inquiſitionis occludunt, & huic enormi ſceleri oſtium magnum

ape-

aperiunt; propterea hæ, & ſimiles opiniones reiiciuntur communiter tanquam laxæ, ac tenuis omnino probabilitatis, inſufficientes ad prudenter operandum, quibus ſcelera foventur; & ruinæ, non ſaluti animarum conſulitur.

200. Quæritur An teneatur pœnitens denunciare per Epiſtolam aut per nuncium, vel per Confeſſarium, ſi non poſſit immediatè accedere ad Judicem fidei, vel ob clauſuram, vel ob ęgritudinem, aut ob aliam phiſiçam, vel moralem impotentiam?

Reſp. affirmativè, quicquid nonnulli in contrarium dicant, ratio eſt, quia licet verum ſit, quod impotens adire perſonaliter ſuperiorem, ut à reſervatis, vel à cenſuris abſolvatur, non teneatur illum adire per literas, aut per internuncium, ad id tamen obligatur, ſi nequeat perſonaliter adire ad denunciationem faciendam, cum hæc ſit longè majoris momenti, & ad bonum publicum ſpectet, neque obſtat periculum, ne literæ ab aliis reperiantur, quibus non eſt detegendum ſcelus Confeſſariis, nam hujusmodi periculum paſſim eſt valdè remotum, quod ad avertendum grave damnum ſubiri poteſt; ſicut etiam propter bonum publicum manifeſtari licitè poteſt delictum ſollicitantis non ſolùm Judici, ſed etiam prudenti internuncio, ſi aliter denunciatio fieri non poſſit; ſecus ferè ſemper mulieres ſollicitatæ à denunciando excuſarentur, quia paſſim citra aliquam notam adire perſonaliter nequeunt Judicem fidei.

201. Quæritur Quid agendum in caſu, quo non poſſit induci pœnitenr nobilis, ac verecunda ad denunciandum, nec poſſit

opinionibus benignis, verè probabilius adjuvari?

Reſp. S. Congregatio Inquiſitionis in hoc caſu (annuente Summo Pontifice): decrevit 27. *Septembris* 1624. quod Epiſcopus, vel Inquiſitor tribuat Confeſſario facultatem accipiendi denunciationem in ſcriptis, & ſub juramento, quæ ſtatim deferatur Judici competenti; quòd ſi neque ad id poſſit ſollicitata flecti, voluit Pontifex, quòd ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio, & interim non abſolvatur pœnitens, utpotè indiſpoſita.

202. Quæritur. An Confeſſarius teneatur hoc onus ſubire, & vices pœnitentis ſupplere?

Reſp. Univerſim non tenetur is ſubire onera pœnitentis, niſi fortè charitas aliquando aliud exigat, quando ſcilicet bonum publicum periclitatur, nec aliter poſſit remedium adhiberi; ratio eſt, quia onus adeundi ſuperiorem non eſt gravamen Confeſſario impoſitum, ſed pœnitenti, unde ſi non poſſit pœnitens adire ſuperiorem, non propterea obligabitur Confeſſarius, quantumvis eo velit pœnitens uti, immò optimum conſilium eſt, quod Confeſſarius à ſubeundis quibuſcumque oneribus penitentis, omninò, ſi fieri poteſt, abſtineat.

203. Quæritur An poſſit excuſari pœnitens à debito denunciandi Confeſſarium ſollicitantem ex parvitate materiæ?

Reſp. Negativè, nam in crimine, & materia ſollicitationis non datur parvitas materiæ, quia licèt manum v. g. vel pedem fœminæ premere, vellicare, laudare de pulchritudine, vel quia ſimile facere, ſit veniale

intra

intra genus luxuriæ, ſi carnalis delectatio, vel ſcandalum non interveniat, attamen ſi hæc fiant tempore Sacramenti adminiſtrandi, ſeu antea, vel poſt immediatè, ſunt mortalia adverſus virtutem Religionis ob gravem iniuriam, quæ ſacramento irrogatur; propterea quilibet exceſſus in hac materia à Pontifice dicitur nefarius; verùm ſi verba prolata à ſollicitante, vel aliæ actiones ſint ita ambiguæ, ut rationabiliter præſumatur, ea verba citra animum ſollicitandi eſſe prolata, tunc non erit obligatio denunciandi.

203. Quæritur. Quam pœnam incurrat Confeſſarius, qui docet pœnitentem ſollicitatam non teneri ad denunciandum, ſi confiteatur cum ſollicitante?

Reſp. Ultra peccatum graviſſimum incurrere exconmunicationem Sum. Pontifici reſervatam, à qua nullus alius, præterquam in mortis articulo, abſolvere poterit, niſi fuerit privilegiatus.

DILECTIO.

205. Quæritur. An præcepto diligendi proximum ſatisfieri poſſit per ſolos actus externos, quin requiratur ipſum diligere actu interno, & formali?

Reſp. Negativè, primoquia Chriſtus Dominus *Matth: 22.* poſt expreſſum primum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum*, ſubdit alterum: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, ſcilicet dilectione interna, & formali: Præterea 1. *Joan. 4. dicitur hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat,*

& fratrem ſuum, videlicet conſimili dilectione: *& Joan. 15.* dicitur; *hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos*, ergo ſicut Deus dilectione interna diligendus eſt, ita & proximus: Deum tamen propter ſe ipſum amare tenemur, & non propter aliud, proximum vero perfectiùs amamus, ſi propter Deum diligamus; & ideò iſta proximi dilectio ſpectans ad charitatem infuſam ſufficit ad implendum ſecundum præceptum de proximo diligendo: Denique quia ratio ipſa naturalis dictat, proximum actu dilectionis interno proſequendum eſſe, cum nihil magis neceſſarium ſit ad generis humani conſervationem, ad pacem, & juſtitiam tuendam, tum etiam quia lex naturalis de proximo diligendo, & præceptum hoc novum Chriſti Domini non imponunt, niſi actum honeſtum ſpectantem ad virtutem Charitatis; ergo non poteſt huic præcepto ſatisfieri per actus merè externos, ſubveniendo illi in opportunitatibus ex motivo v.g. inanis gloriæ, aut ex motivo etiam alterius virtutis, ſicut nonnulli docuerunt, quorum opiniones merito damnantur ab Innoc. XI. *cum propoſ. X. & XI.* ſed requiritur quod diligamus aliquando proximum amore ſupernaturali, ſive ex motivo benevolentiæ erga ipſum, ſive propter amorem Dei, ut *Comm. SS. P.P. & Theologi docent.*

206. Quæritur. Quandonam fideles teneantur exercere actus dilectionis internos?

Reſp. Communius D.D. docent, ſufficere, quod aliquando hi actus exerceantur, videlicet, cum neceſſitas occurrit, aut exercendi miſericordiam, aut vitandi odium,

vel

vel periculum vindictæ, & quia eſt moraliter impoſſibile, quòd in convictu hominum deficiant hujuſmodi occaſiones, in quibus neceſſaria ſit proximi dilectio, ideò moraliter impoſſibile eſt, quod Chriſti fideles, qui chriſtianè vivunt, huic præcepto non ſatisfaciant abundè, quod ſi quis animo ſit inhumano, advertere ad hanc obligationem debet, & ſicut identidem exercere debet actum dilectionis Dei, ita ut non ſatisfaciat huic præcepto, qui diu caret hoc actu, ut patet ex *prop. 5. 6. & 7. inter damnatas ab Innoc. XI.* ita identidem etiam exercere debet actum dilectionis proximi etiam ſupernaturalem, v. g. quia ita Chriſtus præcipit, vel quia pro illo Sanguinem fudit, vel ut Deum in æternum glorificet &c. ita ut in dilectione proximi, etiam dilectio Dei aliquatenus includatur.

207. Quæritur. An qui triſtatur de vita alicujus, & de illius morte naturali gaudet, illam inefficaci affectu petit, & deſiderat, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum, peccet mortaliter?

Reſp. Affirmativè, ut patet ex decreto Innoc. XI. damnantis prop. 13. & ratio eſt quia ordo charitatis poſtulat, quòd vita proximi præferatur emolumento temporali proprio, immò exigit, ut ad illam conſervandam ſuccurramus pauperi etiam de neceſſariis ſtatui, quamvis non cum gravi detrimento, ergo charitatis ordo pervertitur, ſi mortem proximi appetamus, aut de ea gaudeamus propter noſtrum temporale emolumentum, eo quod hiſce affectibus noſtrum emolumentum præferatur vitæ proximi, quæ

eſt in ordine longè ſuperiori, ut proinde perverſio ordinis non poſſit dici levis; nec poſſint hujuſmodi affectus gravi culpa vacare, etiamſi non oriantur ex diſplicentia perſonæ.

208. Ex quibus ſequitur 1. quod ſi filius mortem Patri exoptet, aut de illa gaudeat, vel ſi gaudeat de patricidio à ſe in ebrietate commiſſo, ob hæreditatem captandam, non ſolùm peccabit mortaliter contra charitatem, ſed etiam contra pietatem; quæ dictat, parentes præ cæteris eſſe diligendos, illiſque obſequendum; hinc animadverte *propoſ.* 14. *ac* 15. inter damnatas ab eodem Pontificè: Poterit tamen quis gaudere præcisè de emolumento temporali, quod ex morte alicujus provenit, dummodo nullatenus eam deſideret, nec de ea gaudeat.

209. Sequitur 2. licitum eſſe mortem proximi appetere, vel de ea gaudere ob bonum præſtantius, verb. gr. ad Dei gloriam, ob bonum ſpirituale, quod ex illa ſequitur, ſi aliter, non poteſt illud obtineri, videlicet, ad vitandas ejus, vel aliorum Culpas, ob bonum ingens Reipublicæ, cum ordo charitatis petat, vitam etiam propriam tantis bonis poſthaberi.

210. Sequitur 3. licitum eſſe, optare mortem Turcis, Hæreticis, & aliis hoſtibus Eccleſiæ, aut Reipublicæ, ne Eccleſia, vel Reſpublica opprimatur, & divinus Cultus, vel juſtitiæ æquitas conculcetur, ratio eſt, quia finis hic eſt bonum præponderans.

211. Sequitur 4. licitum id eſſe, etiamſi pu-

putemus Turcas iſtos, aut Hæreticos cum temporali morte, etiam æternam eſſe ſubituros; etenim quod in eo ſtatu ſint, provenit ex propria culpa, & quod intenditur eſt bonum præponderans, videlicet, non ſolùm quies temporalis Eccleſiæ, & Reipublicæ, ſed etiam æterna ſalus multorum, quæ ab iis perſecutoribus plerumque impeditur.

212. Sequitur 5. non poſſe matrem optare mortem filiæ, aut ex eo quòd non poſſit juxta proprii ſtatus exigentiam nuptui illam tradere, aut ex eo quòd à marito contemnatur; quia non habetur in tali caſu bonum præponderans.

213. Sequitur 6. peccare graviter omnes (niſi inadvertentia excuſet) qui mortem ſibi optant ad evadendas leves, & communes hujus vitæ calamitates, ratio eſt, quia non habetur bonum præponderans: Poſſumus tamen mortem optare ad evadendas miſerias, quæ reddunt vitam morte amariorem, ac deteriorem, aut ne Deum amplius offendamus, aut ne diu exulèmus à Patria, dicendo cum *Pſalmiſta Hei mihi, quia incolatus meus prolungatus eſt*, & cum *Apoſt. cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*; ſic enim effulget bonum præponderans.

214. Sequitur ultimò, quod licèt laudabile ſit velle, quod juxta altiſſimos Dei fines omnia diſponantur, adorando inſcrutabilia ejus conſilia; non poſſumus tamen velle mortem peoximi cum noſtro temporali emolumento connexam etiamſi Deus illam velit ob altiſſimos fines ſuos, quia hujuſmodi affectus conditionati ſunt revera peccaminoſi, cum practicè magis

oriat-

oriantur ex affectu erga emolumentum temporale, & ex odio de vita proximi impediente nobis aſſecutionem illius boni, quam ex affectu erga divina conſilia, quibus omnia ad fines altiſſimos ordinantur.

DOLOR.

215. QUæritur Quænam opiniones ex-excludendæ ſint à praxi circa dolorem requiſitum ad Sacramentum pœnitentiæ.

Reſp. Cum dolor de peccatis ſit pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ, opiniones, quæ circumferuntur circa dolorem requiſitum ad hoc Sacramentum, verſantur circa valorem Sacramenti; cum Sacramentum ſine ſua parte eſſentiali non poſſit eſſe validum; ex quibus opinionibus probabilibus illa, quæ negat valorem Sacramenti, pro praxi tutior eſt, & quæ affirmat, minus tuta.

DUELLUM.

216. QUæritur Quid ſit duellum, & an differat à rixa?

Reſp. Duellum eſt pugna duorum, vel plurimum facta armis, ſeu inſtrumentis aptis ad inferendam mortem, grave vulnus, vel mutilationem, ex condicto mutua, & ſpotanea conventione ſuſcepta, aſſignatis loco, & tempore pugnæ: utrumque enim, & ſolemne, & privatum prohibetur ſub excommunicatione Papæ reſervata; differt quidem à rixa, nam hæc eſt pugna, quæ

oritur

oritur ex ſubita ira, eodem calore iracundiæ animo alterato, ob quam nulla incurritur cenſura.

217. Quæritur. An vir equeſtris ad duellum provocatus poſſit illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat?

Reſp Opinionem affirmativam expreſsè damnavit Alexander VII. cum propoſ. 2. & merito, quia licèt jure naturæ duellum non ſit illicitum, ſi fiat ob finem graviſſimum, v. g. ad extinguenda bella, *ut de S. Venceslao Boemiæ Duce legitur*, illicitum tamen eſt, etiam jure naturæ nedum iure Eccleſiaſtico ob levem, ut in caſu noſtro, quia vitam propriam, & alienam periculo exponere ob levem finem, dictamini rationis apertè repugnat; ultrà quamquod acceptans duellum temerè, & citra cauſam graviſſimam (qualis eſt ſalus Reipublicæ, cui vita privatorum ſubordinatur) nec honorem tuetur; nec notam timiditatis declinat, niſi penès paucos diaboli aſſeclas, & vulgares homines, nam apud cordatos reputatur inſipiens, & ſuæ, ac alienæ vitæ prodigus.

218. Quæritur. An ſaltem liceat viro equeſtri duellem acceptare à provocante, quem ſcit eſſe ſuum calumniatorem, ſi non poſſit alia via gravem ignominiam à calumnia provenientem repellere, quam illum occidendo?

Reſp. Negativè, ſicut enim non licet hunc calumniatorem occidere, ut dictum eſt ſuperius *quæſt.* 178. ita neque licet duellum ab eo oblatum acceptare, periculo exponendo vitam utriuſque, & ratio videtur eſſe, quia facilè homines ſibi perſuadent,

dent, ſe per calumniam offendi, nec aliam viam evadendi ſuppetere præter mortem Calumniatoris, quod medium ad declinandam ignominiam eſt revera exceſſivum, eo quod animus in hac re ſit hallucinationi ſubjectus.

216 Quæritur. Quomodo ſe gerere debebeat Confeſſarius, vel ſimplex Sacerdos cum duellante, ex vulnere in conflictu recepto conſtituto in mortis articulo, dolente, & petente abſolutionem, quam habere non poteſt ab eo, cui cenſura reſervatur?

Reſp. Si de peccatis verè doleat, & debet ab his eum abſolvere, & à cenſura, quæ in eo articulo non eſt reſervata, ſed non niſi impoſito prius onere, & recepto juramento de ſtando mandatis Eccleſiæ (hoc eſt, quod ſimilia non ſit amplius commiſſurus) & recepta ſanitate; ac impedimento ceſſante, de comparendo coram Summ. Pontif. vel eo, cui abſolutionem ipſe commiſerit; nam *Clem. VIII. anno* 1602. dictam cenſuram reſervavit, etiam relatè ad Regulares intra Italiam extra Urbem, prohibendo, ne vi ſuorum privilegiorum extra articulum mortis ab ea abſolverent; eſt etiam ab eo petenda cautio pignoratoria, vel fidejuſſoria, aut ſaltem juratoria de ſatisfacienda parte læſa, quam primùm poterit, quæ omnia in praxi à Confeſſariis ſervanda ſunt, quando ſimiles, & ligatos cenſura reſervata abſolvere debebunt, quod ſi hæc ſcienter omittant, quamvis abſolutio ſit valida, mortaliter peccant, quia in re gravi operantur contra Sacros Canones.

ELEE-

220. Quæritur. An fideles de ſuperfluis ſtatui teneantur ſuccurrere pauperi in extrema neceſſitate conſtituto?

Reſp. Principium generale, & commune eſt tam laicis, quam Eccleſiaſticis, utroſque obligari ad ſuccurrendum pauperi in extrema neceſſitate conſtituto de ſuperfluis ſtatui, ratio eſt, quia nulla major neceſſitas, quàm extrema, nullumque minus incommodum divitibus, quàm expendere, quæ non ſolùm naturæ, ſed etiam ſtatui ſuperfluunt; ergo ſi lex charitatis, & miſericordiæ obligat ſub gravi, proculdubio obligat in caſu adducto; quidquid ſit, an obligatio iſta ſit ſolùm ex lege charitatis, an etiam juſtitiæ, adeò ut teneantur etiam reſtituere damna inde ſecuta, qui huic obligationi non ſatisfaciunt, quod complures docent; præſcindimus etiam, an huic obligationi ſatisfiat ſolùm mutuando pauperi, non donando, quod pariter docent nonnulli; lege *propoſ. 12. inter damnatas ab Innoc. XI.*

221. Quæritur. An in extrema neceſſitate pauperi ſubveniendum ſit, etiam ex neceſſariis ſtatui?

Reſp. Nemo tenetur ad deſtruendum proprium ſtatum, ut occurrat extremæ neceſſitati pauperis, ratio eſt, quia nemo tenetur proprium ſtatum deſtruere pro tuenda vita propria, ut docent comm. ergo à fortiori pro tuenda aliena; tenentur tamen omnes cum aliquo detrimento proprii ſtatus illi ſubvenire, quia pati aliquod detrimentum ſtatus

non.

non cenſetur medium extraordinarium, & moraliter impoſſibile, ſecus vero pati detrimentum grave; Advertendum tamen, quod laicus non tenetur ex ſuperfluis ſtatui ingentem vim pecuniæ inſumere pro redimenda vita pauperis, neque obligatur ad ſuccurrendum ægroto extraordinarias medicinas offerre, & Medicum longè diſtantem advocare, quia hæc ſunt extraordinaria media, quæ continent difficultatem ingentem: Contra vero Beneficiarius, cum teneatur ſuperfluum ſtatui in pios uſus erogare, non patitur magnam difficultatem, ſi magnam vim pecuniæ expendat ad ſublevandam extremam indigentiam perſonæ privatæ, & ideò ad id obligatur, niſi fortè ad bonum publicum expediret, pecuniam iſtam ſtatui ſuperfluam inſumere ad ſublevandam indigentiam minus gravem plurium pauperum, quàm ad conſervandam vitam unius privati.

222. Quæritur. An in gravi neceſſitate ſubveniendum ſit pauperi ex ſuperfluis, aut etiam, ex neceſſariis ſtatui, tam ab Eccleſiaſticis, quàm à laicis ſub mortali?

Reſp. Quod ſi nomine gravis neceſſitatis veniat neceſſitas quaſi extrema, qualis eſſet v. g. quod nobilis cogatur mendicare, aut aliter ducere vitam ipſa morte pejorem, tunc ſubveniendum eſt illi, etiam de neceſſariis ſtatui, eo prorſus pacto, quo diximus, ſubveniendum eſſe tam ab Eccleſiaſticis, quàm à laicis in neceſſitate extrema; ratio eſt, quia neceſſitas hæc valdè gravis, & quaſi extrema in morali æſtimatione ipſi extremæ indigentiæ æquiparatur; ſi tamen nomine neceſſitatis gravis veniat

ea

ea proximi indigentia ratione cujus minus dignè, & opulenter vivat, quàm deceat ſtatum ſuum, ſuccurrendum eſt illi ſub mortali ſolùm de ſuperfluis, non de neceſſariis ſtatui, ut communius docent D. D. contra nonnullos, putantes ad id non dari gravem obligationem, quorum ſententia, damnata non manet.

223. Quæritur. An in communibus neceſſitatibus pauperum oſtiatim mendicantium ſub mortali ſubveniendum ſit de ſuperfluis ſtatui, tam ab Eccleſiaſticis, quàm à laicis?

Reſp. Quamvis nonnulli putent, aut nullam, aut ſolùm ſub veniali dari ad id obligationem, eo quod prudenter quilibet ſibi perſuadere poſſit, neceſſitatem iſtam pauperum eſſe ab aliis tollendam (aliter neceſſitas non eſset communis, ſed gravis, aut extrema) dicendum tamen eſt, graviter peccare eum, qui propoſitum habet nunquam ſubveniendi pauperibus in communibus neceſſitatibus; ratio eſt, quia cum erogatio eleemoſynæ de ſe ſit ardua, niſi daretur obligatio ſub gravi erogandi illam etiam pauperibus in communibus neceſſitatibus, facilè contingere poſſet, quod hujuſmodi pauperibus nemo ſubveniret, unde non poſset formari prudens illud judicium, quod non ſit defuturus alius, qui ſubveniat; quapropter tenendum eſt pro certo ex ea propoſ. 12. ab Innoc. damnata hujuſmodi gravem obligationem inferri.

EU-

224. Quæritur. An forma conſecrationis Calicis conſiſtat in illis ſolis verbis: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*; an etiam ſint eſſentialia reliqua omnia?

Reſp. Sapientiſſimi D. D. cenſent, in ſolis prioribus verbis formam conſiſtere; ſed S. Thomas, & plures alii, cenſent, reliqua omnia verba eſſe eſſentialia, ſine quibus non erit valida conſecratio Calicis, idcirco quia hæc ſecunda opinio eſt tutior, peccabit lethaliter Sacerdos, qui ſine reliquis omnibus verbis conſecrabit.

225. Quæritur. An blatha, avena, amylom, & vinum congelatum ſint materia ſufficiens ad Euchariſtiam?

Reſp. Negativè, & deducere in praxim opiniones affirmativas, eſt grave peccatum, quia minus tutæ ſunt, & exponunt fruſtrationi Sacramentum.

226. Quæritur. An opiniones, quæ excludunt à materia, & forma conſecrationis quod aliæ opiniones admittunt tanquam neceſſarium ad valorem Sacramenti, ſint damnatæ?

Reſp. Eſſe damnatas ab Innoc. XI. cum prop. 1. ratio eſt, quia conſtat ex eadem damnatione, in praxi ſequendam eſſe opinionem, quæ circa valorem Sacramenti tutior eſt, & revera tutiùs eſt omne id adhibere, quod aliqui admittunt tanquam neceſſarium ad valorem Sacramenti, licèt ab aliis ut non neceſſarium excludatur.

EX-

EXTREMA UNCTIO.

227. Quæritur. An, & quomodo oleo benedicto pro extrema unctione poſſit admiſceri oleum non benedictum, ita ut certus maneat valor Sacramenti?

Reſp. Certum eſt, quoad praxim, Sacramentum extremæ unctionis licitè, & validè conferri, etiam ſi oleum non benedictum ſuperaddatur ſæpius, dummodo ſingulis vicibus fiat admixtio in minori quantitate non benedicti, qua in re videtur facere certitudinem praxis antiqua Eccleſiarum, & declaratio *S. Cong. ſub die* 23. *Septemb.* 1682.

228. Quæritur. An chriſma ſit materia hujus Sacramenti tuta in praxi?

Reſp. Materiam remotam Sacramenti Extremæ Unctionis eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, ut conſtat ex Tridentino; eſt tamen opinio, aliquorum, etiam Chriſma, quod ex oleo, & balſamo conficitur, eſſe poſſe materiam hujus Sacramenti; ſed oppoſita opinio affirmat futurum eſſe invalidum id Sacramentum, ſi aſſumatur Chriſma pro materia ejus; dicendum ergo eſt, primam opinionem eſſe ſpeculative probabilem, in praxi vero damnationi ſubjectam, quia ſequitur ſententiam minus tutam circa valorem Sacramenti; cum hoc tamen ſtat, quod deficiente oleo infirmorum debeat ſubſtitui Chriſma, nam in caſu neceſſitatis, quando non datur medium certum, aſſumendum eſt medium probabile.

229. Quæritur. An ſit damnata opinio aſſe-

aſſerens, non requiri unctionem quinque ſenſuum; atque adeò poſſe fieri in unico, & in qualibet parte corporis?

Reſp. Affimativam ſententiam docent plures, & graves D. D. ſed quia oppoſita opinio docet, non eſſe validum Sacramentum, aut ſaltem eſſe dubium valorem ejus, niſi ungantur omnia organa quinque ſenſuum, ideò dicendum, primam opinionem, quamvis ſpeculativè probabilem, in praxi tamen eſſe damnationi ſubjectam, ut minus tutam.

FAMULUS.

230. Quæritur. An famuli, & famulæ domeſticæ poſſint occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam quàm majorem judicant ſalario, quod recipiunt?

Reſp. Niſi debitum ſit certum, non licet facere compenſationem, neque ſpoliare eum, qui poſſidet, quando enim famulus ex rationibus probabilibus contendit, herum debere majus pretium famulatus, tale debitum non eſt certum, & evidens, idcircò non licet famulo facere eam compenſationem, herum poſſidentem ſpoliando; ita declaravit *Innoc. XI. damnans propoſ.* 37.

231. Quæritur. An in evidenti injuſtitia dominorum liceat famulis, vel in judicio, vel extra illud compenſare ſibi mercedem debitam?

Reſp. Affimativè, nam in evidenti injuſtitia licet famulis petere in judicio æqualitatem mercedis ſibi debitæ, aut ſi ex ali-

aliqua cauſa non poſſint in judicio ſui juris æqualitatem conſequi, poterunt extrajudicialiter ſibi occultè compenſare.

132. Quæritur. An ad eam compenſationem ſufficiat, quòd famulus cenſeat, irrogari ſibi evidenter injuſtitiam?

Reſp. Non ſufficere, immò neque fidendum eſſe judicio Confeſſarii mediocriter docti, ſed dumtaxat judicio hominis valdè docti, & in re morali verſatiſſimi; etenim res eſt non parùm difficilis ferre judicium de adæquatione mercedis ad operam, & laborem.

233. Queritur. Ex quibus capitibus dignoſcatur evidentia injuſtitiæ, quam herus irrogat famulo in diminutione ſalarii?

Reſp. Sicut in mercibus eſt triplex pretium, ſummum ſcilicet, medium & infimum, ita & in miniſteriis famulorum; ſumitur autem hæc menſura ſtipendii tum ex lege, tum frequentius ex conſuetudine, ita ut ſtipendium ſit evidenter injuſtum, ſi ſit minus infimo; ſed ad hoc menſurandum ſunt attendendæ plures circumſtantiæ; 1. quod ſtipendium non debet menſurari cum integra ſuſtentatione famuli, & ejus familiæ, ſed solùm cum valore laboris ſui, aut induſtriæ, quam impendit; 2. attendendum eſt, ſtipendium etſi famulo videatur, tenue, eſt tamen juſtum, ſi ſint alii, qui eodem pretio ſervirent. 3. Sicut merces ultroneæ vileſcunt, ita cum famulus rogat herum pro ſuo famulatu, juſta erit conventio pro minori pretio. 4. quando cogitur invitus ſervire pro minori pretio, ita ut non attingat infimum, aut ſecundùm aliquos, medium, tunc ſit famulo

mani-

manifeſta injuſtitia . 5. ſi herus ſolvat famulo ſtipendium in rebus, quibus non eget, & quas cogitur vendere minori pretio, eſt evidens injuſtitia . 6. ſi famulus in ipſa conventione condonet hero partem juſti ſtipendii, non poteſt allegare ſibi irrogatam eſſe injuriam; hæc ſunt præcipua, quæ attendenda ſunt pro commenſuranda juſtitia ſalarii.

234. Quæritur. An damnatio propoſ. 37. ſit reſtringenda ad ſolos eos, quibus competit propriè, & ſtrictè obſequium famulatus; an potius extendenda ſit ad omnes eos, qui præſtant munera, aut officia accepto ſtipendio pro obeundo munere ſibi commiſſo?

Reſp. Eam damnationem extendi ad omnes illos, & ita licèt omnes adminiſtratores vectigalium Principis, aut Reipublicæ non ſint propriè famuli, ad illos tamen extenditur hæc damnatio; ſicut etiam adminiſtratores rei familiaris Communitatum, Patronatuum: ad cuſtodes etiam montium, agrorum, vectigalium, item ad Prætores, Judices, Medicos, & ad quoſcumque alios, qui ex condicto ſtipendio operam, laborem, aut induſtriam ſuam impendunt; & ratio eſt, quia propoſitio, & ejus damnatio loquuntur de his omnibus, qui accipiunt ſalarium pro opera ſua præſtanda, ſalarium enim eſt nomen univerſaliſſimum pro omnibus eis officiis.

235. Quæritur. An ſi famulus ex errore invincibili (bona fide, *puta ex Conſilio Confeſſarii indocti*) ſubripuit domino exceſſum imaginarium ſalarii, exiſtimans id ſibi licere, poſteaquàm cognoſcit, id eſſe illicitum,

tum, teneatur illum hero reſtituere?

Reſp. Si adhuc durat in famulatu, certum eſt teneri, remittendo tantam partem ſalarii, quantam ſubripuerat, nam dum durat famulatus tenetur ſtare contractui excludenti illam partem ſalarii ſubreptam, etiam in caſu, quo finitus eſt famulatus tenetur famulus reſtituere non ſolùm id, in quo factus eſt ditior, ſed etiam tantam partem ejus quantitatis, quantam ſub prætextu ſalarii ſubripuerat, etenim obligatio ex contracto durat, donec impleatur.

236. Quæritur. An peccet mortaliter famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, ſi id faciat metu notabili detrimenti, puta, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur?

Reſp. Affirmativè, juxta decretum Innoc. XI. damnantis prop. 51. & ratio eſt, quia illæ actiones ſunt intrinſecè malæ, atque adeo nullo metu cohoneſtari poſſunt, etiamſi famulus timeat aliquod multo majus detrimentum, ſcilicet mortem, aut mutilationem à domino valde ſuperbo, & iracundo, illicitum eſt ei cooperari proxime peccato domini ſui: id enim, cum ſit malum intrinſece, ex nulla quantumvis urgente cauſa juſtificari poteſt.

237. Quæritur quænam actiones ſint, quæ comprehenduntur ſub illis terminis in prop. 51. contentis: *aut quid ſimile cooperando;*

Reſp. Eas eſſè, quæ adjuvant de facto ad

exequendam luxuriam, quamvis abſtractæ ab illis circumſtantiis ſint indifferentes; tales ſunt deferre concubinam ad domum heri, ſivè famulus deferat in ſella geſtatoria, ſive deferat eam comitando; item ferre ſcienter literas provocatorias ab hero ad Concubinam vel e converſo, ſive eas literas ſcribere, vocare concubinam, ut adeat domum, vel cubile heri, pergere juſſu heri ad ſequendam mulierem, ut ſciat ubi habitat, ut id notum faciat domino, ſignare locum ubi ſit concubina, lectum ſternere &c. nam hæ actiones adjuvant de facto ad exequendam luxuriam heri; poſſunt tamen excuſari famuli, quando ſcilicet ignorant, ea miniſteria eſſe pro exercenda libidine, & quamvis mera ſuſpicione tangantur, ea ſolet non eſſe talis, ut extrahat eos à mera dubitatione.

238. Licitæ tamen ſunt actiones aliæ miniſtrandi, quæ non adjuvant ad exercendam luxuriam, v. g. ſi concubina exiſtens in domo heri peteret à famulo aquæ poculum, non eſſet illicitum aquam illi miniſtrare, quia miniſtratio aquæ non adjuvat ad exequendam libidinem; & ſic in ſimilibus actionibus, quæ ad id nihil adjuvant.

FIDES.

239. QUæritur. An detur præceptum ſpeciale fidei?

Reſp. dari in fide ſpeciale, & proprium præceptum ad illam pertinens, & obligans ſub mortali, *nam qui non crediderit, condemnabitur*: *Matth. ult.* opinio oppoſita dam-

damnatur ab Innoc. XI. cum propoſ. 16.

240. Quæritur An contineatur ſub ea damnatione propoſitio affirmans, preceptum affirmativum obligans ad eliciendos actus fidei non eſſe ſpeciale, & per ſe, ſed ſolùm negativum interdicens peccata oppoſita fidei?

Reſp. Eam propoſitionem, quamvis prima facie videatur non includi ſub damnatione, eo quod cenſura Pontificis non diſtinguat inter præceptum fidei affirmativum & negativum; tamen re altius conſiderata, contineri etiam ſub damnatione probatur, nam Innoc. XI. loquitur in eodem ſenſu ac Alexander VII. in prima propoſitione ex damnatis ab ipſo, ſed ut conſtat, ibi loquitur de precepto fidei affirmativo, ergo de eodem loquitur Innocentius approbans quod Alexander decrevit, & conſequenter damnans propoſitionem aſſerentem non dari præceptum fidei affirmativum ſpeciale, & per ſe.

241. Quæritur. An homo aliquando teneatur elicere actus fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas vitutes pertinentium?

Reſp. Affirmativè, patet manifeſte ex propoſ. 1. inter damnatas ab Alex. VII. homo enim aliquando per ſe, & directè aliquando per accidens, & indirectè obligatur ad eliciendos eos actus; per ſe, & directe ex vi præcepti divini, & naturalis obligatur, quando debet ipſos elicere obligatione proveniente ab ipſa reſpectivè virtute, vel fidei, aut ſpei, aut charitatis, & tunc omiſſio actus eſt peccatum per ſe, & directè contra hujuſmodi virtutes in confeſſione

explicandum; per accidens, & indirectè ex vi aliorum præceptorum obligatur, quando actus prædicti non præcipiuntur, niſi in ordine ad exercendos actus alterius virtutis, puta, ad ſuperandam aliquam gravem tentationem, quæ aliter ſuperari non poteſt, niſi per exercitium eorum actuum; cum ex ipſo rationis dictamine abſonum ſit, hominem nunquam, aut raro ad Deum finem ultimum ſe convertere, credendo quæ dignatus eſt revelare, ſperando in ejus miſericordia, & amando infinitam ipſius bonitatem; deinde quia hujuſmodi actus neceſſarii ſunt ad pie vivendum, & ad alia media ſalutis uſurpanda, *ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo ad Hebr.* 11. *& ad Rom.* 8. *ſpe ſalvi facti ſumus, & qui non diligit manet in morte Joan.* 3. proindè S. Sedes definit, in ſole excutire eos, qui de hac obligatione dubitant, cum ea pomeridiana luce ſit clarior, quod pariter confirmant *propoſitiones* 5.6.7. 16.17.*&* 65 *ab Innoc.XI. &* 1. *ab Alexan. VIII. damnatæ*.

242. Quæritur. quando per ſe, & directè obliget præceptum negativum fidei, ſpei, & charitatis?

Reſp. 1. Præceptum negativum fidei ſemper, & pro ſemper obligat eum cui ſufficienter ſunt propoſita myſteria fidei eſſe à Deo revelata, ut ea non neget, ipſiſque non diſſentiat, & cum advertentia, & voluntariè non dubitet de illorum veritate, id enim ſemper, & quovis momento eſt prohibitum. 2. præceptum negativum ſpei ſemper, & pro ſemper obligat ad non deſperandum de Dei miſericordia, & non præſumendum de beatitudine conſequenda ſine meritis, & auxilio gratiæ. 3. præceptum negativum charitatis ſemper,

&pro-

& pro ſemper obligat ad non odiendum Deum, nihilque agendum, quod ejus dilectioni, & amicitiæ contrarium ſit.

243. Quæritur Quando per ſe obliget præceptum affirmativum eliciendi actus internos fidei, ſpei, & charitatis?

Reſp. 1. Cum quis primùm venit ad plenum uſum rationis, & ei ſufficienter proponitur, myſteria fidei eſſe à Deo revelata cum obligatione credendi, Deum eſſe noſtram beatitudinem, & finem, ad quem bonis actibus tendere debet; cum obligatione ſperandi in eo infinitè miſericorde, & omnipotente; & amandi ſummam ipſius Bonitatem. 2. Quando urget tentatio contra eas virtutes, quæ vinci non poſſunt alio modo, quàm eliciendo earundem actus. 3. In articulo mortis, quia id eſt tempus opportunè adimplendi hoc præceptum. 4. Cum quis fidem exterius confiteri tenetur, alias mentiretur, ſi diceret externè ſe aliquid credere, quod interius non crederet. 5. Ad minus ſexies in anno, ſecurius ſemel in menſe, quia veriſimile eſt, Chriſtum Dominum in inſtitutione præcepti iſtarum virtutum id voluiſſe, præſertim cum non ſit fidelibus difficile quoad exercitium, nec debent eſſe anxii, an præcepto ſatisfecerint, quia praxis communis fidelium eſt elicere frequentiſſimè eos actus: cum audiunt Miſſam, recitant orationem Dominicam, Salutationem angelicam, & Symbolum Apoſtolorum; Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariæ ſuſcipiunt, ad ſunt divinis officiis, reverentiam exhibent ſanctis, ſe ſignant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæ omnia præſtari non poſſunt ſine multis actibus præ-

dicti; & ita contingit in ſexcentis aliis circumſtantiis, quibus redundat vita chriſtiana; conſultiùs tamen eſt, ad tollendos ſcrupulos, ut Confeſſarius pœnitentes rudes inſtruat, & faciat, ut tales actus elicianur maximè ab his, qui rarò confitentur.

244. Quæritur Quando per accidens obliget præceptum Affirmativum exercendi eos actus?

Reſp. Quoties quis ad actum ſupernaturalem eliciendum obligatur, qui ſine actu fidei haberi non poteſt, ut ad ſperandum, Deum diligendum, dolendum de peccatis, ut oportet &c. nam fides eſt ſupernaturalitatis initium; ſic qui orat tenetur ſperare quod petit, ne vaga ſit oratio, ſed Deo placens; qui dolet de peccatis, debet veniam ſperare; qui exiſtimat ſe non ſuperaturum aliquam tentationem ver. gr. contra caſtitatem, niſi mediante actu amoris in Deum, tenetur actum dilectionis elicere.

Quæritur Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum pœnitente petente inſtrui de modo eliciendi actus fidei, ſpei, & charitatis?

Reſp. Ipſum inſtruat de tempore obligationis, & ut eos actus eliciat ex motivo formali ipſarum virtutum, hinc ſcias, unamquamque illarum habere objectum materiale, & formale; objectum materiale fidei divinæ eſt omnis res à Deo revelata, ut Deus eſt Trinus, & unus], verbum incarnatum &c. formale vero, & motivum ipſius eſt ratio propterquam creditur, ſcilicet, quia Deus ſumme verax revelavit; ideo actum fidei divinæ elicit, qui ex corde di-
cit:

cit: Firmiſſimè credo, Deum eſſe trinum, & Unum, Redemptorem, ac Remuneratorem, quia ipſe Deus ſummè verax revelavit, & Sancta Mater Eccleſia Catholica fidelibus id credendum proponit, deinde ob idem motivum credo omnia, quæ in ſcripturis ſacris, & in Symbolo Apoſtolorum continentur, & quicquid credit, tenet, ac docet eadem Sancta Eccleſia: objectum materiale ſpei eſt ipſa Beatitudo, ſeu Deus poſſidendus, & omne bonum ſpirituale, quod à Deo poſſumus expectare conducens ad beatitudinem; objectum vero formale eſt miſericordia, & omnipotentia Dei, & ita actus ſpei Theologicæ erit: Deus meus, quia infinitè miſericors, & omnipotens es, firmiſſimè ſpero ob merita D. N. JESU Chriſti, te mihi daturum beatitudinem, ſi uſque in finem bene cum tuo auxilio operabor, ſicut operari, te auxiliante, propono: Objectum materiale charitatis eſt Deus ipſe, & quicquid placet Deo, quod amemus; formale vero eſt infinita Dei bonitas ſecundùm ſe, & propter ſe amabilis propter quam Deus amatur; hinc actus charitatis elicit, qui ex corde dicit: Deus meus te ſuper omnia diligo, omnibus creaturis te prefero, ac potius tibi volo placere, quàm alii cuicumque, quia infinitè bonus, propter te amabilis, & perfectiſſimus es, & ideo mihi ſummoperè diſplicet te offendiſſe, ac de cætero non peccare, te adjuvante, propono.

246. Quæritur. An debeant exerceri actus fidei, & ſpei, antequam ſuſcipiatur pœnitentiæ Sacramentum, tamquam prævia diſpoſitionis ad juſtificationem, prout ha-

habetur *in Trident. Seſs. 6. cap. 6.*

Reſp. Quod licèt fidelis teneatur credere ſuo tempore, quæ ſunt credenda, ſive neceſitate medii, ſive neceſſitate præcepti, non tenetur tamen elicere actus fidei formales, & explicitos de myſteriis credendis præcisè, ut ad Sacramentum pœnitentiæ diſponatur; etenim Trident docet ea, quæ ſolent, non ea, quæ debent præire juſtificationem, & ideo ſufficit fides illa virtualis, quam qui libet habet, dum veniam petit à Deo, & juſtificationem ex ejus miſericordia expectat.

247. Quæritur Quare fideles de tranſgreſſione præcepti harum virtutum fere nunquam ſe accuſant, nec ſolent à Confeſſariis de hoc interrogari?

Reſp. Quia ſupponunt ſatisfeciſſe, & non tantùm ſemel, ſed frequenter eo modo, quo dictum eſt ſuperius quæſtione 243. vel quia pœnitentes ad hanc obligationem non advertunt, & ideo non peccant diu differendo exercitium horum actuum; neque tenentur repetere Confeſſiones præteritas, quas bona fide fecerunt, ſed ſufficit, ut ſe accuſent de negligentia in addiſcendis Myſteriis fidei, & eliciendis actibus prædictarum virtutum, poſtea ſufficienter inſtruantur, & ſi aliàs diſpoſiti fuerint, abſolvantus ſi verò ex ſtatu pœnitentis colligat confeſſarius, illum hæc præcepta ſcienter omiſiſſe, tunc debebunt repeti confeſſiones præteritæ tanquam in validæ, explicando numerum vicium, in quibus omiſit pœnitens elicere prædictos actus, ſaltem cicumcirca?

248. Quæritur. An fidelis interrogatus

de

de profeſſione ſuæ fidei poſſit eam negare?

Reſp. Certum eſt apud omnes, & de fide tenendum, numquam eſſe licitum, quin potius mortale peccatum eſſe, negare fidem, ſive coram poteſtate publica, ſive coram homine privato, id enim conſtat ex verbis Chriſti, *Matt. 10. qui negavit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*, quæ negatio, duobus modis poteſt contingere, vel cum quis negat veram fidem catholicam, aut aliquod myſterium fidei, vel cum negat, ſe eſſe catholicum, Chriſtianum, aut Papiſtam, idque ſive negetur voce, ſive ſigno alio exteriori. Præterea datur præceptum affirmativum confitendi exterius fidem, ut conſtat *ex D. Paulo ad Rom. 10. corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ſcilicet tanquam neceſſaria neceſſitate præcepti; Confeſſio vero alia eſt materialis, & alia formalis, materialis fit per ſigna externa, ſcilicet audiendo Miſſam, accipiendo S. Euchariſtiam &c. formalis fit per vocum pronunciationem, dicendo Symbolum Apoſtolorum, aut Sancti Athanaſii &c. denique hoc præceptum affirmativum ſufficienter impletur per Confeſſionem materialem, ut conſtat *ex Epiſt. Jacob. C. 2.* Ego *oſtendam tibi ex operibus fidem meam*: hinc perpende propoſ. 18. inter damnatas ab Innoc. XI.

249. Quæritur. An fidelis interrogatus de ſua fide, cui illam (ut dictum eſt) negare non licet, poſſit tacere?

Reſp. Apud omnes certum eſt, quod quando interrogante Tyranno, vel privata perſona, ſilentium eſt ſignum negationis fidei, aut erubeſcentiæ de confeſſione illius,

etiam ob metum mortis, eſt mortaliter illicitum contra præceptum Confeſſionis fidei; ſi verò per poſſibile, vel impoſſibile id ſilentium propter aliquas circumſtantias non eſſet ſignum negationis fidei, neque erubeſcentiæ de illa confitenda, neque id ſilentium eſſet ſcandalo aliis, quo averterentur à fide, illud non eſſet illicitum, quia tota ratio malitiæ, quæ reperiri poteſt in eo ſilentio, eſt, eſſe ſignum negatæ fidei, ſignum, inquam, unde poſſit præſumi negari fidem, idque ſive propter præceptum confitendi, & non negandi, ſive propter ſcandalum aliorum; igitur juxta damnationem dictæ *propoſ.* 18. dicimus, id ſilentium per ſe eſſe mortaliter illicitum, per accidens autem poſſe non eſſe peccaminoſum, quando ſcilicet ore tacens, opere confitetur.

25. Quæritur An damnationi prætactæ propoſitionis ſubjaceat opinio docens; quod cum fideles à poteſtà publicate per Edictum vocantur, ut coram Tribunali declarent ſuam fidem, non teneantur ire ad illam declarandam?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia neceſſarium eſt, ut perſona nominatim, ut ſic dicam, & in particulari rogetur, nam ſi tantùm in generali proponatur, ut ſi quis eſt fidelis ſe prodat, cum multi adſint occulti, nemo propriè interrogatur, & ideo regulariter loquendo, nullus tenetur tunc ſe prodere.

251. Quæritur. An ſubjaceat damnationi ſententia aſſerens: eum, qui interrogatur non in odium fidei, ſed propter alium finem, non peccare tacendo, aut ſimulando?

Reſp.

Reſp. Non ſubjacere, nam cenſura Pontificia reſpicit cauſam fidei, & Confeſſionis ejus; ſi vero Princeps catholicus propter aliquem finem honeſtum ſcire vellet, quinam eſſent catholici in ditione ſua, & interrogaret Petrum: An eſſet Catholicus, tunc huic tacere, & tergiverſari non liceret, quia ea taciturnitas eſſet ſignum negatæ fidei; quare propoſitio aſſerens, in hoc caſu ſilentium eſſe licitum, ſubjacet damnationi?

252. Quæritur. An ad aſſenſum fidei neceſſaria ſit pia affectio ſupernaturalis?

Reſp. Piam affectionem voluntatis ſupernaturalem eſſe neceſſariam ſimpliciter ad aſſenſum fidei ſupernaturalis, eſt comm. Theologorum ſententia, tam firmis auctoritatibus, & rationibus munita, ut opoſita, ut minimùm, ſit planè improbabilis, quam veritatem definivit *Trident. ſeſſ. 6 illis verbis: diſponantur autem ad juſtitiam &c.*

253. Quæritur. An voluntas poſſit efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium?

Reſp. Affirmativè, ita decrevit Innoc. XI. damnans propoſ. 19. ratio eſt quia ſi aſſenſus fidei non poſſet eſſe magis firmus, quàm meretur pondus rationum impellentium ad aſſenſum, ſequeretur, quod aſſenſus fidei non haberet omnimodam firmitatem, & certitudinem, hoc eſt hæreticum, & certò falſum, ergo certò falſum eſt antecedens, unde id infertur;

254. Quæritur. An ad actum fidei ſufficiat, quod voluntas non repugnet, quin requiratur poſitivum imperium?

Reſp. Quamvis opinio affirmativa non damnetur expreſsè in decreto Innoc. XI: ex vi tamen talis decreti antiquata manet; non damnatur expreſsè, quia ad hoc, neceſse eſt, ut propoſitio per ſuos formales terminos expreſſa, aut per æquivalentes præſcribatur ut ſcandaloſa, aut tanquam digna aliqua alia cenſura theologica; antiquata verò manet, quia eſt incompoſſibilis cum decreto, licèt per proprios terminos non exprimatur.

255. Quæritur. An poſſit quis prudenter repudiare aſſenſum fidei, quem habebat ſupernaturalem?

Reſp. Negativè, ratio eſt quia vel nititur rationibus creatis, ſeu ſignis credibilitatis ad aſſenſum impellentibus, & hujuſmodi aſſenſus non eſt Theologicus, & ſupernaturalis, cùm non nitatur Deo loquenti; vel poſitis ſignis credibilitatis nititur Deo loquenti, & ſic quomodo poteſt prudenter teſtimonium divinum amplius repudiari? 1. *Joan.* 5. *dicitur*; *qui credit in Filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe*, ſed tantùm teſtimonium prudenter repelli non poteſt, ergo nunquam poteſt actus fidei ſupernaturalis præconceptus repudiari, ut manifeſtè conſtat ex propoſ. 20. inter proſcriptas ab Innoc. XI.

256. Quæritur. An aſſenſus fidei ſupernaturalis ſtet cum notitia ſolùm probabili revelationis, ſive cum formidine de illa?

Reſp. Negativè, nam ad actum fidei non ſufficit probabilitas de revelatione, neque cum actu fidei compoſſibilis eſt formido, ex quo evidenter infertur, actum fidei eſſe non poſſe, quin ſit omninò certus,

ut manifeſtè patet ex decreto Innoc. XI. damnantis propoſ. 21.

257. Quæritur. An damnata ſit opinio aſſerens, poſſe terminari actum fidei ſupernaturalis ad ea objecta, quæ probabiliter continentur ſub vera revelatione univerſali?

Reſp. Non defuerunt D. D. qui dixexerunt, terminari poſſe actum fidei ſupernaturalis ad objecta, quæ probabiliter continentur ſub revelatione univerſali, v. g. totam Sacram ſcripturam revelavit Deus, ſi ergo aliquis ſibi probabiliter perſuadeat, hunc eſſe ſenſum talis loci ſcripturæ, poterit illum ſenſum credere actu ſupernaturali fidei. Dicendum tamen eſt, eam opinionem eſſe damnatam, & ratio eſt, quia illa propoſitio, quæ propugnat, actum fidei divinæ ſtare cum notitia ſolùm probabili revelationis, aut cum formidine de exiſtentia revelationis eſt damnata, aſſenſus enim, qui terminatur ad objectum ſingulare probabiliter contentum ſub revelatione univerſali, ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, & cum formidine de exiſtentia revelationis, ergo talis opinio proculdubio damnationi ſubjicitur.

258. Quæritur. An damnata maneat illa opinio, quæ docet, non requiri evidentiam credibilitatis ad actum fide, ortam ex argumentis, maximè in pueris, & rudibus?

Reſp. Negativè, nam certum eſt, non requiri in pueris, & viris, ac fæminis rudibus evidentiam ortam ex argumentis, quorum mentes rudes non ſunt capaces; ſuffi-

cit

eſt enim in talibus evidentia moralis, quâ ſibi certiſſimè perſuadent, Parochum, vel alium proponentem myſteria fidei, nolle decipere, & licet hoc excedat fidem humanam, accedente tamen illuſtratione, & inſpiratione divina, excedit humanam fidem, & motivum aliàs probabile redditur pluſquam moraliter certum.

259 Quæritur. An ſit ſupernaturalis actus fidei, quo quis v. g. vult credere abſolutè, ſe poſt contritionem, quam credit ſupernaturalem, gratiam eſſe conſecutum, vel hanc numero hoſtiam eſſe conſecratam, aut hunc infantem poſt baptiſmum eſſe in ſtatu gratiæ?

Reſp. Hujuſmodi actum eſſe ſolùm naturalem, ratio eſt, quia fides ſupernaturalis ſicut abhorret à falſitate, ita etiam abhorret à formidine, ſive actuali, ſive radicali; aſſenſus autem fidei in caſibus adductis non poteſt excludere formidinem ſaltem radicalem, cum prudenter dubitari poſſit, num contritio fuerit ſufficiens ad gratiam recuperandam, num hæc hoſtia ſit à legitimo Miniſtro, & cum debita intentione conſecrata &c. Cum enim hæc aliquando accidant, poteſt intellectus dicere, fortè hìc, & nunc, ita ſe res habent, ergo aſſenſus fidei in his caſibus eſſet ſolùm probabilis.

260. Quæritur [?]. An ſit damnata opinio aſſerens, poſſe elici actum fidei ſupernaturalis circa objectum, quod ſibi proponitur, ut moraliter certum, quod illud continetur ſub revelatione univerſali?

Reſp. Negativè, nam quando datur certitudo moralis (certitudo, inquam, in gradu

dir ſupremo) quod obiectum ſingulare continetur in univerſali revelato, tunc poteſt actus fidei ſupernaturalis terminari ad id objectum ſingulare, idque objectum ſingulare credendum eſt fide divina, ut v. g. Deus revelat, ſe velle, omnem hominem ſalvum fieri, conſequenter revelat, ſe velle, Petrum, Paulum, & Franciſcum ſalvos fieri.

261. Quæritur. An fides explicita Dei remuneratoris ſit neceſsaria neceſſitate medii ad ſalutem; ita ut in nullo prorſus caſu poſſit juſtificari adultus ſive fidelis ſit, ſive infidelis abſque tali fide?

Reſp. Affirmativè, & patet aſsertio primò. quia teſtimonium *D. Pauli ad Heb.* 11. *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator eſt*, intelligitur à Conciliis, & Patribus cum omnimoda univerſalitate, & ſine limitatione; patet. 2. *ex Concilio Trident. multis in locis, & præcipuè ſeſſ. 6. cap. 7.* ubi ſit ſtatuit: *hanc fidem ante baptiſmi Sacramentum ex Apoſtolorum traditionibus &c.* ex quibus concluditur, quod fides, quæ eſt in Eccleſia præſtat vitam æternam, & quod illam non præſtet ſine ſpe vitæ æternæ; & quod cum ſpes vitæ æternæ haberi non poſſit ſine fide explicita Dei ut Remuneratoris, ſit manifeſtum, quod hæc fides explicita eſt medium neceſsarium ad conſequendam vitam æternam, cum iſtæ propoſitiones Concili univerſales ſint, ideò jure meritò damnatur ab Innoc. XI. propoſitio 22. quæ hanc univerſalitatem excludit.

262. Quæritur. An ad omnem juſtificationem fidelium ſemper ſit neceſsaria ne-

ceſſi-

ceſſitate medii fides explicita actualis de Deo ut Remuneratore?

Reſp. Sufficere ad juſtificationem actum fidei explicitè de Deo ut remuneratore, virtualiter perſiſtentem in ſuo effectu, ſcilicet non à remoto, ſed à proximo tempore elicitum, & non retractatum; propinquitas autem temporis debet eſſe tanta, quanta requiritur, ut cenſeatur moraliter perſeverare, nec deletam eſſe memoriam illius, quod congruè videtur etiam procedere in materia ſpei retributionis æternæ, ratio eſt, quia durum videretur, & ſcrupulis obnoxium requirere ad Confeſſionem, & juſtificationem actum formalem fidei, & ſpei, nec ſufficere virtualem, & hæc doctrina non ſolùm eſt probabilis, ſed certa ſicut certum eſt, agricolam, dum ſeminat immemor fructuum, habere ſpem colligendi fructus.

263. Quæritur. An ad juſtificationem ſufficiat fides explicita ſupernaturalis de Deo ut remuneratore naturali?

Reſp. Non ſufficere, ſed requiri fidem explicitam de Deo ut remuneratore non ex bonis temporalibus hujus vitæ, ſed ex bonis vitæ æternæ, & oppoſita opinio adverſatur oraculo D. Pauli, qui ex communi ſenſu Eccleſiæ agit de remuneratore ſuperiori ad bona temporalia, nam *in cap. 11. ad Hebr incipit per illa verba*: *Eſt autem Fides ſperandarum ſubſtantia rerum*: *argumentum non apparentium*, quod de bonis æternis planè intelligitur.

264. Quæritur. An fides latè ſumpta ex teſtimonio creaturarum, ſimilivè motivo naturali ad juſtificationem ſufficiat?

Reſp.

Reſp. Damnatam eſſe quamcumque opinionem, quæ docuerit , non eſſe neceſſariam ad juſtificationem fidem fundatam in auctoritate Dei revelantis, ſed ſufficere fidem latè ſumptam, ſcilicet, quæ ex teſtimonio creaturam , aut alio ſimili motivo habeatur, nam communis, & certa ſententia Theologorum eſt, fidem, quæ propriè, & ſtrictè fides eſt, ſcilicet fundata in auctoritate Dei revelantis, eſſe adulto omninò neceſſariam ad juſtificationem, ut conſtat *ex ſcriptura, Cocciliis, & SS. Patribus, & ita decrevit Innoc. XI. damnans propoſ. 23.*

265. Quæritur. An opinio docens. ſecluſa lege Dei, poſſe hominem juſtificari media cognitione ſupernaturali habita ex teſtimonio Creaturarum, damnationem incurrat?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia decretum Pontificium non decernit, quod fides ſtricta requiratur ad juſtificationem independenter à lege Dei, aut dependenter ab illa, ſed ſolùm quod eſt abſolutè requiſita ad juſtificationem.

266. Quæritur. An infideles cum ſola fide lata poſſint elicere actus ſupernaturales, quibus mereantur de congruo pervenire ad fidem ſtrictam?

Reſp. Inudeles non poſſunt elicere actus ſupernaturales, antequam perveniant ad fidem ſtrictam, & conſequenter antequam deſinant eſſe infideles; nam *ex teſtimonio D. Pauli ad Hebr.* 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ergo impoſſibile eſt, quod infideles faciunt opera, quæ Deo placeant, ſcilicet in ordine ad remunerationem æternam, nam remuneratio temporalis,

&

exequendam luxuriam, quamvis abſtractæ ab illis circumſtantiis ſint indifferentes; tales ſunt deferre concubinam ad domum heri, ſivè famulus deferat in ſella geſtatoria, ſive deferat eam comitando; item ferre ſcienter literas provocatorias ab hero ad Concubinam vel e converſo, ſive eas literas ſcribere, vocare concubinam, ut adeat domum, vel cubile heri, pergere juſſu heri ad ſequendam mulierem, ut ſciat ubi habitat, ut id notum faciat domino, ſignare locum ubi ſit concubina, lectum ſternere &c. nam hæ actiones adjuvant de facto ad exequendam luxuriam heri; poſſunt tamen excuſari famuli, quando ſcilicet ignorant, ea miniſteria eſſe pro exercenda libidine, & quamvis mera ſuſpicione tangantur, ea ſolet non eſſe talis, ut extrahat eos à mera dubitatione.

238. Licitæ tamen ſunt actiones aliæ miniſtrandi, quæ non adjuvant ad exercendam luxuriam, v. g. ſi concubina exiſtens in domo heri peteret à famulo aquæ poculum, non eſſet illicitum aquam illi miniſtrare, quia miniſtratio aquæ non adjuvat ad exequendam libidinem; & ſic in ſimilibus actionibus, quæ ad id nihil adjuvant.

F I D E S.

239. QUæritur. An detur præceptum ſpeciale fidei?

Reſp. dari in fide ſpeciale, & proprium præceptum ad illam pertinens, & obligans ſub mortali, *nam qui non crediderit, condemnabitur*: *Matth. ult.* opinio oppoſita dam-

damnatur ab Innoc. XI. cum propoſ. 16.

240. Quæritur An contineatur ſub ea damnatione propoſitio affirmans, preceptum affirmativum obligans ad eliciendos actus fidei non eſſe ſpeciale, & per ſe, ſed ſolùm negativum interdicens peccata oppoſita fidei?

Reſp. Eam propoſitionem, quamvis prima facie videatur non includi ſub damnatione, eo quod cenſura Pontificis non diſtinguat inter præceptum fidei affirmativum & negativum; tamen re altius conſiderata, contineri etiam ſub damnatione probatur, nam Innoc. XI. loquitur in eodem ſenſu ac Alexander VII. in prima propoſitione ex damnatis ab ipſo, ſed ut conſtat, ibi loquitur de precepto fidei affirmativo, ergo de eodem loquitur Innocentius approbans quod Alexander decrevit, & conſequenter damnans propoſitionem aſſerentem non dari præceptum fidei affirmativum ſpeciale, & per ſe.

241. Quæritur. An homo aliquando teneatur elicere actus fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas vitutes pertinentium?

Reſp. Affirmativè, patet manifeſte ex propoſ. 1. inrer damnatas ab Alex. VII. homo enim aliquando per ſe, & directè aliquando per accidens, & indirectè obligatur ad eliciendos eos actus; per ſe, & directe ex vi præcepti divini, & naturalis obligatur, quando debet ipſos elicere obligatione proveniente ab ipſa reſpectivè virtute, vel fidei, aut ſpei, aut charitatis, & tunc omiſſio actus eſt peccatum per ſe, & directè contra hujuſmodi virtutes in confeſſione

explicandum; per accidens, & indirectè ex vi aliorum præceptorum obligatur, quando actus prædicti non præcipiuntur, niſi in ordine ad exercendos actus alterius virtutis, puta, ad ſuperandam aliquam gravem tentationem, quæ aliter ſuperari non poteſt, niſi per exercitium eorum actuum; cum ex ipſo rationis dictamine abſonum ſit, hominem nunquam, aut rarò ad Deum finem ultimum ſe convertere, credendo quæ dignatus eſt revelare, ſperando in ejus miſericordia, & amando infinitam ipſius bonitatem; deinde quia hujuſmodi actus neceſſarii ſunt ad pie vivendum, & ad alia media ſalutis uſurpanda, *ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo ad Hebr.* 11. *& ad Rom.* 8. *ſpe ſalvi facti ſumus, & qui non diligit manet in morte Joan.* 3. proindè S. Sedes definit, in ſole excutire eos, qui de hac obligatione dubitant, cum ea pomeridiana luce ſit clarior, quod pariter confirmant *propoſitiones* 5.6.7. 16.17.*&* 65 *ab Innoc.XI.&* 1. *ab Alexan.VIII. damnatæ.*

242. Quæritur. quando per ſe, & directè obliget præceptum negativum fidei, ſpei, & charitatis?

Reſp. 1. Præceptum negativum fidei ſemper, & pro ſemper obligat eum cui ſufficienter ſunt propoſita myſteria fidei eſſe à Deo revelata, ut ea non neget, ipſiſque non diſſentiat, & cum advertentia, & voluntariè non dubitet de illorum veritate, id enim ſemper, & quovis momento eſt prohibitum. 2. præceptum negativum ſpei ſemper, & pro ſemper obligat ad non deſperandum de Dei miſericordia, & non præſumendum de beatitudine conſequenda ſine meritis, & auxilio gratiæ. 3. præceptum negativum charitatis ſemper,

&pro-

& pro ſempet obligat ad non odiendum Deum, nihilque agendum, quod ejus dilectioni, & amicitiæ contrarium ſit.

243. Quæritur Quando per ſe obliget præceptum affirmativum eliciendi actus internos fidei, ſpei, & charitatis?

Reſp. 1. Cum quis primùm venit ad plenum uſum rationis, & ei ſufficienter proponitur, myſteria fidei eſſe à Deo revelata cum obligatione credendi, Deum eſſe noſtram beatitudinem, & finem, ad quem bonis actibus tendere debet, cum obligatione ſperandi in eo infinitè miſericorde, & omnipotente; & amandi ſummam ipſius Bonitatem. 2. Quando urget tentatio contra eas virtutes, quæ vinci non poſſunt alio modo, quàm eliciendo earundem actus. 3. In articulo mortis, quia id eſt tempus opportunè adimplendi hoc præceptum. 4. Cum quis fidem exterius confiteri tenetur, alias mentiretur, ſi diceret externè ſe aliquid credere, quod interius non crederet. 5. Ad minus ſexies in anno, ſecurius ſemel in menſe, quia veriſimile eſt, Chriſtum Dominum in inſtitutione præcepti iſtarum virtutum id voluiſſe, præſertim cum non ſit fidelibus difficile quoad exercitium, nec debent eſſe anxii, an præcepto ſatisfecerint, quia praxis communis fidelium eſt elicere frequentiſſimè eos actus: cum audiunt Miſſam, recitant orationem Dominicam, Salutationem angelicam, & Symbolum Apoſtolorum; Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariæ ſuſcipiunt, adſunt divinis officiis, reverentiam exhibent ſanctis, ſe ſignant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæ omnia præſtari non poſſunt ſine multis actibus prædictis;

dicti; & ita contingit in ſexcentis aliis circumſtantiis, quibus redundat vita chriſtiana; conſultiùs tamen eſt, ad tollendos ſcrupulos, ut Confeſſarius pœnitentes rudes inſtruat, & faciat, ut tales actus eliciantur maximè ab his, qui rarò confitentur.

244. Quæritur Quando per accidens obliget præceptum Affirmativum exercendi eos actus?

Reſp. Quoties quis ad actum ſupernaturalem eliciendum obligatur, qui ſine actu fidei haberi non poteſt, ut ad ſperandum, Deum diligendum, dolendum de peccatis, ut oportet &c. nam fides eſt ſupernaturalitatis initium; ſic qui orat tenetur ſperare quod petit, ne vaga ſit oratio, ſed Deo placens; qui dolet de peccatis, debet veniam ſperare; qui exiſtimat ſe non ſuperaturum aliquam tentationem ver. gr. contra caſtitatem, niſi mediante actu amoris in Deum, tenetur actum dilectionis elicere.

Quæritur Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum pœnitente petente inſtrui de modo eliciendi actus fidei, ſpei, & charitatis?

Reſp. Ipſum inſtruat de tempore obligationis, & ut eos actus eliciat ex motivo formali ipſarum virtutum, hinc ſcias, unamquamque illarum habere objectum materiale, & formale; objectum materiale fidei divinæ eſt omnis res à Deo revelata, ut Deus eſt Trinus, & unus], verbum incarnatum &c. formale vero, & motivum ipſius eſt ratio propterquam creditur, ſcilicet, quia Deus ſumme verax revelavit; ideo actum fidei divinæ elicit, qui ex corde dicit:

cit: Firmiſſimè credo, Deum eſſe trinum, & Unum, Redemptorem, ac Remuneratorem, quia ipſe Deus ſummè verax revelavit, & Sancta Mater Eccleſia Catholica fidelibus id credendum proponit, deinde ob idem motivum credo omnia, quæ in ſcripturis ſacris, & in Symbolo Apoſtolorum continentur, & quicquid credit, tenet, ac docet eadem Sancta Eccleſia: objectum materiale ſpei eſt ipſa Beatitudo, ſeu Deus poſſidendus, & omne bonum ſpirituale, quod à Deo poſſumus expectare conducens ad beatitudinem; objectum vero formale eſt miſericordia, & omnipotentia Dei, & ita actus ſpei Theologicæ erit: Deus meus, quia infinitè miſericors, & omnipotens es, firmiſſimè ſpero ob merita D. N. JESU Chriſti, te mihi daturum beatitudinem, ſi uſque in finem bene cum tuo auxilio operabor, ſicut operari, te auxiliante, propono: Objectum materiale charitatis eſt Deus ipſe, & quicquid placet Deo, quod amemus; formale vero eſt infinita Dei bonitas ſecundùm ſe, & propter ſe amabilis propter quam Deus amatur; hinc actus charitatis elicit, qui ex corde dicit: Deus meus te ſuper omnia diligo, omnibus creaturis te prefero., ac potius tibi volo placere, quàm alii cuicumque, quia infinitè bonus, propter te amabilis, & perfectiſſimus es, & ideo mihi ſummoperè diſplicet te offendiſſe, ac de cætero non peccare, te adjuvante, propono.

246. Quæritur. An debeant exerceri actus fidei, & ſpei, antequam ſuſcipiatur pœnitentiæ Sacramentum, tamquam præviæ diſpoſitionis ad juſtificationem, prout

habetur *in Trident. Seſs. 6. cap. 6.*

Reſp. Quod licèt fidelis teneatur credere ſuo tempore, quæ ſunt credenda, ſive neceſitate medii, ſive neceſſitate præcepti, non tenetur tamen elicere actus fidei formales, & explicitos de myſteriis credendis præcisè, ut ad Sacramentum pœnitentiæ diſponatur; etenim Trident docet ea, quæ ſolent, non ea, quæ debent præire juſtificationem, & ideo ſufficit fides illa virtualis, quam qui libet habet, dum veniam petit à Deo, & juſtificationem ex ejus miſericordia expectat.

247. Quæritur Quare fideles de tranſgreſſione præcepti harum virtutum fere nunquam ſe accuſant, nec ſolent à Confeſſariis de hoc interrogari?

Reſp. Quia ſupponunt ſatisfeciſſe, & non tantùm ſemel, ſed frequenter eo modo, quo dictum eſt ſuperius quæſtione 243. vel quia pœnitentes ad hanc obligationem non advertunt, & ideo non peccant diu differendo exercitium horum actuum; neque tenentur repetere Confeſſiones præteritas, quas bona fide fecerunt, ſed ſufficit, ut ſe accuſent de negligentia in addiſcendis Myſteriis fidei, & eliciendis actibus prædictarum virtutum, poſtea ſufficienter inſtruantur, & ſi aliàs diſpoſiti fuerint, abſolvantur ſi verò ex ſtatu pœnitentis colligat confeſſarius, illum hæc præcepta ſcienter omiſiſſe, tunc debebunt repeti confeſſiones præteritæ tanquam in validæ, explicando numerum vicium, in quibus omiſit pœnitens elicere prædictos actus, ſaltem cicumcirca?

248. Quæritur. An fidelis interrogatus

de

de profeſſione ſuæ fidei poſſit eam negare?
Reſp. Certum eſt apud omnes, & de fide tenendum, numquam eſſe licitum, quin potius mortale peccatum eſſe, negare fidem, ſive coram poteſtate publica, ſive coram homine privato, id enim conſtat ex verbis Chriſti, *Matt.* 10. *qui negavit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*, quæ negatio, duobus modis poteſt contingere, vel cum quis negat veram fidem catholicam, aut aliquod myſterium fidei, vel cum negat, ſe eſſe catholicum, Chriſtianum, aut Papiſtam, idque ſive negetur voce, ſive ſigno alio exteriori. Præterea datur præceptum affirmativum confitendi exterius fidem, ut conſtat *ex D. Paulo ad Rom.* 10. *corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem*, ſcilicet tanquam neceſſaria neceſſitate præcepti; Confeſſio vero alia eſt materialis, & alia formalis, materialis fit per ſigna externa, ſcilicet audiendo Miſſam, accipiendo S. Euchariſtiam &c. formalis fit per vocum pronunciationem, dicendo Symbolum Apoſtolorum, aut Sancti Athanaſii &c. denique hoc præceptum affirmativum ſufficienter impletur per Confeſſionem materialem, ut conſtat *ex Epiſt. Jacob. C.* 2. Ego *oſtendam tibi ex operibus fidem meam*: hinc perpende propoſ. 18. inter damnatas ab Innoc, XI.

249. Quæritur. An fidelis interrogatus de ſua fide, cui illam (ut dictum eſt) negare non licet, poſſit tacere?

Reſp. Apud omnes certum eſt, quod quando interrogante Tyranno, vel privata perſona, ſilentium eſt ſignum negationis fidei, aut erubeſcentiæ de confeſſione illius,

Reſp. Non ſubiacere, nam cenſura Pontificia reſpicit cauſam fidei, & Confeſſionis ejus; ſi vero Princeps catholicus propter aliquem finem honeſtum ſcire vellet, quinam eſſent catholici in ditione ſua, & interrogaret Petrum: An eſſet Catholicus, tunc huic tacere, & tergiverſari non liceret, quia ea taciturnitas eſſet ſignum negatæ fidei; quare propoſitio aſſerens, in hoc caſu ſilentium eſſe licitum, ſubjacet damnationi?

252. Quæritur. An ad aſſenſum fidei neceſſaria ſit pia affectio ſupernaturalis?

Reſp. Piam affectionem voluntatis ſupernaturalem eſſe neceſſariam ſimpliciter ad aſſenſum fidei ſupernaturalis, eſt comm. Theologorum ſententia, tam firmis auctoritatibus, & rationibus munita, ut opoſita; ut minimùm, ſit planè improbabilis, quam veritatem definivit *Trident. ſeſſ. 6 illis verbis: diſponantur autem ad juſtitiam &c.*

253. Quæritur. An voluntas poſſit efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium?

Reſp. Affirmativè, ita decrevit Innoc. XI. damnans propoſ. 19. ratio eſt quia ſi aſſenſus fidei non poſſet eſſe magis firmus, quàm meretur pondus rationum impellentium ad aſſenſum, ſequeretur, quod aſſenſus fidei non haberet omnimodam firmitatem, & certitudinem, hoc eſt hæreticum, & certò falſum, ergo certò falſum eſt antecedens, unde id infertur;

254. Quæritur. An ad actum fidei ſufficiat, quod voluntas non repugnet, quin requiratur poſitivum imperium?

Reſp. Quamvis opinio affirmativa non damnetur expreſsè in decreto Innoc. XI: ex vi tamen talis decreti antiquata manet; non damnatur expreſsè, quia ad hoc, neceſse eſt, ut propoſitio per ſuos formales terminos expreſſa, aut per æquivalentes præſcribatur ut ſcandaloſa, aut tanquam digna aliqua alia cenſura theologica; antiquata verò manet, quia eſt incompoſſibilis cum decreto, licèt per proprios terminos non exprimatur.

255. Quæritur. An poſſit quis prudenter repudiare aſſenſum fidei, quem habebat ſupernaturalem?

Reſp. Negativè, ratio eſt quia vel nititur rationibus creatis, ſeu ſignis credibilitatis ad aſſenſum impellentibus, & hujuſmodi aſſenſus non eſt Theologicus, & ſupernaturalis, cùm non nitatur Deo loquenti; vel poſitis ſignis credibilitatis nititur Deo loquenti, & ſic quomodo poteſt prudenter teſtimonium divinum amplius repudiari? 1. *Joan.* 5. *dicitur*; *qui credit in Filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe*, ſed tantùm teſtimonium prudenter repelli non poteſt, ergo nunquam poteſt actus fidei ſupernaturalis præconceptus repudiari, ut manifeſtè conſtat ex propoſ. 20. inter proſcriptas ab Innoc. XI.

256. Quæritur. An aſſenſus fidei ſupernaturalis ſtet cum notitia ſolùm probabili revelationis, ſive cum formidine de illa?

Reſp. Negativè, nam ad actum fidei non ſufficit probabilitas de revelatione, neque cum actu fidei compoſſibilis eſt formido, ex quo evidenter infertur, actum fidei eſſe non poſſe, quin ſit omninò certus, ut

ut manifeſtè patet ex decreto Innoc. XI. damnantis propoſ. 21.

257. Quæritur. An damnata ſit opinio aſſerens, poſſe terminari actum fidei ſupernaturalis ad ea objecta, quæ probabiliter continentur ſub vera revelatione univerſali?

Reſp. Non defuerunt D. D. qui dixerunt, terminari poſſe actum fidei ſupernaturalis ad objecta, quæ probabiliter continentur ſub revelatione univerſali, v. g. totam Sacram ſcripturam revelavit Deus, ſi ergo aliquis ſibi probabiliter perſuadeat, hunc eſſe ſenſum talis loci ſcripturæ, poterit illum ſenſum credere actu ſupernaturali fidei. Dicendum tamen eſt, eam opinionem eſſe damnatam, & ratio eſt, quia illa propoſitio, quæ propugnat, actum fidei divinæ ſtare cum notitia ſolùm probabili revelationis, aut cum formidine de exiſtentia revelationis eſt damnata, aſſenſus enim, qui terminatur ad objectum ſingulare probabiliter contentum ſub revelatione univerſali, ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, & cum formidine de exiſtentia revelationis, ergo talis opinio proculdubio damnationi ſubjicitur.

258. Quæritur. An damnata maneat illa opinio, quæ docet, non requiri evidentiam credibilitatis ad actum fide, ortam ex argumentis, maximè in pueris, & rudibus?

Reſp. Negativè, nam certum eſt, non requiri in pueris, & viris, ac fæminis rudibus evidentiam ortam ex argumentis, quorum mentes rudes non ſunt capaces; ſufficit

eſt enim in talibus evidentia moralis, quâ ſibi certiſſimè perſuadent, Parochum, vel alium proponentem myſteria fidei, nolle decipere, & licet hoc excedat fidem humanam, accedente tamen illuſtratione, & inſpiratione divina, excedit humanam fidem, & motivum aliàs probabile redditur pluſquam moraliter certum.

259 Quæritur. An ſit ſupernaturalis actus fidei, quo quis v. g. vult credere abſolutè, ſe poſt contritionem, quam credit ſupernaturalem, gratiam eſſe conſecutum, vel hanc numero hoſtiam eſſe conſecratam, aut hunc infantem poſt baptiſmum eſſe in ſtatu gratiæ?

Reſp. Hujuſmodi actum eſſe ſolùm naturalem, ratio eſt, quia fides ſupernaturalis ſicut abhorret à falſitate, ita etiam abhorret à formidine, ſive actuali, ſive radicali; aſſenſus autem fidei in caſibus adductis non poteſt excludere formidinem ſaltem radicalem, cum prudenter dubitari poſſit, num contritio fuerit ſufficiens ad gratiam recuperandam, num hæc hoſtia ſit à legitimo Miniſtro, & cum debita intentione conſecrata &c. Cum enim hæc aliquando accidant, poteſt intellectus dicere, fortè hîc, & nunc, ita ſe res habent, ergo aſſenſus fidei in his caſibus eſſet ſolùm probabilis.

260. Quæritur 5. An ſit damnata opinio aſſerens, poſſe elici actum fidei ſupernaturalis circa objectum, quod ſibi proponitur, ut moraliter certum, quod illud continetur ſub revelatione univerſali?

Reſp. Negativè, nam quando datur certitudo moralis (certitudo, inquam, in gra-

du

dur ſupremo) quod obiectum ſingulare continetur in univerſali revelato, tunc poteſt actus fidei ſupernaturalis terminari ad id objectum ſingulare, idque objectum ſingulare credendum eſt fide divina, ut v. g. Deus revelat, ſe velle, omnem hominem ſalvum fieri, conſequenter revelat, ſe velle, Petrum, Paulum, & Franciſcum ſalvos fieri.

261. Quæritur. An fides explicita Dei remuneratoris ſit neceſsaria neceſſitate medii ad ſalutem; ita ut in nullo prorſus caſu poſſit juſtificari adultus ſive fidelis ſit, ſive infidelis abſque tali fide?

Reſp. Affirmativè, & patet aſsertio primò. quia teſtimonium *D. Pauli ad Heb. 11. credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator eſt*, intelligitur à Conciliis, & Patribus cum omnimoda univerſalitate, & ſine limitatione; patet. 2. *ex Concilio Tridentino multis in locis, & præcipuè ſeſſ. 6. cap. 7.* ubi ſic ſtatuit: *hanc fidem ante baptiſmi Sacramentum ex Apoſtolorum traditionibus &c.* ex quibus concluditur, quod fides, quæ eſt in Eccleſia præſtat vitam æternam, & quod illam non præſtet ſine ſpe vitæ æternæ; & quod cum ſpes vitæ æternæ haberi non poſſit ſine fide explicita Dei ut Remuneratoris, ſit manifeſtum, quod hæc fides explicita eſt medium neceſsarium ad conſequendam vitam æternam, cum iſtæ propoſitiones Concili univerſales ſint, ideò meritò damnatur ab Innoc. XI. propoſitio 22. quæ hanc univerſalitatem excludit.

262. Quæritur. An ad omnem juſtificationem fidelium ſemper ſit neceſsaria ne-

ceſſi-

ceſſitate medii fides explicita actualis de Deo ut Remuneratore?

Reſp. Sufficere ad juſtificationem actum fidei explicitè de Deo ut remuneratore, virtualiter perſiſtentem in ſuo effectu, ſcilicet non à remoto, ſed à proximo tempore elicitum, & non retractatum; propinquitas autem temporis debet eſſe tanta, quanta requiritur, ut cenſeatur moraliter perſeverare, nec deletam eſſe memoriam illius, quod congruè videtur etiam procedere in materia ſpei retributionis æternæ, ratio eſt, quia durum videretur, & ſcrupulis obnoxium requirere ad Confeſſionem, & juſtificationem actum formalem fidei, & ſpei, nec ſufficere virtualem, & hæc doctrina non ſolùm eſt probabilis, ſed certa ſicut certum eſt, agricolam, dum ſeminat immemor fructuum, habere ſpem colligendi fructus.

263. Quæritur. An ad juſtificationem ſufficiat fides explicita ſupernaturalis de Deo ut remuneratore naturali?

Reſp. Non ſufficere, ſed requiri fidem explicitam de Deo ut remuneratore non ex bonis temporalibus hujus vitæ, ſed ex bonis vitæ æternæ, & oppoſita opinio adverſatur oraculo D. Pauli, qui ex communi ſenſu Eccleſiæ agit de remuneratore ſuperiori ad bona temporalia, nam *in cap. 11. ad Hebr incipit per illa verba*: *Eſt autem Fides ſperandarum ſubſtantia rerum*: *argumentum non apparentium*, quod de bonis æternis planè intelligitur.

264. Quæritur. An fides latè ſumpta ex teſtimonio creaturarum, ſimilivè motivo naturali ad juſtificationem ſufficiat?

Reſp.

Reſp. Damnatam eſſe quamcumque opinionem, quæ docuerit, non eſſe neceſſariam ad juſtificationem fidem fundatam in auctoritate Dei revelantis, ſed ſufficere fidem latè ſumptam, ſcilicet, quæ ex teſtimonio creaturam, aut alio ſimili motivo habeatur, nam communis, & certa ſententia Theologorum eſt, fidem, quæ propriè, & ſtrictè fides eſt, ſcilicet fundata in auctoritate Dei revelantis, eſſe adulto omninò neceſſariam ad juſtificationem, ut conſtat *ex ſcriptura, Cocciliis, & SS. Patribus, & ita decrevit Innoc. XI. damnans propoſ. 23.*

265. Quæritur. An opinio docens, ſecluſa lege Dei, poſſe hominem juſtificari media cognitione ſupernaturali habita ex teſtimonio Creaturarum, damnationem incurrat?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia decretum Pontificium non decernit, quod fides ſtricta requiratur ad juſtificationem independenter à lege Dei, aut dependenter ab illa, ſed solùm quod eſt abſolutè requiſita ad juſtificationem.

266. Quæritur. An infideles cum ſola fide lata poſſint elicere actus ſupernaturales, quibus mereantur de congruo pervenire ad fidem ſtrictam?

Reſp. Infideles non poſſunt elicere actus ſupernaturales, antequam perveniant ad fidem ſtrictam, & conſequenter antequam deſinant eſſe infideles; nam *ex teſtimonio D. Pauli ad Hebr.* 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ergo impoſſibile eſt, quod infideles faciunt opera, quæ Deo placeant, ſcilicet in ordine ad remunerationem æternam, nam remuneratio temporalis,

&

& opera, quæ illam merentur, quaſi nihil reputantur coram Deo, facta comparatione ad remunerationem æternam.

96. Quæritur. An ad quodlibet opus meritorium hominis fidelis præcedere debeat actus fidei?

Reſp. Nullum opus meritorium vitæ æternæ fieri, niſi procedat ex dictamine fidei ſupernaturalis, ita ut neque opera hominis Catholici meritoria ſint premii ſupernaturalis, niſi procedant ex doctrinà fidei; non tamen eſt neceſsarium habere actualiter actum formalem fidei, quo dicat v. g. Credo propter auctoritatem Dei revelantis, eleemoſynam eſse bonam, & Deo placentem; ſufficit enim, quod procedat virtualiter ex actu fidei; fides igitur eſt fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ut conſtat ex *Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. de juſtificat.*

268. Quæritur. An opera, quæ non fiunt ex fide ſupernaturali per dilectionem, ſint peccata?

Reſp. Auctores docentes opinionem affirmativam putant, operationes, quæ procedunt ab homine ſine charitate, eſse peccata; quod falſum eſt, & expreſsè ab Alexandro VIII. damnatum cum prop. XI. ratio eſt, quia ſi ea opinio eſset vera, ſequeretur, quod nullum opus peccatoris eſset bonum, quod eſt contra Trident. *ſeſſ. 6. Can. 7.* ubi dicitur *ſi quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint; verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, vel quantò vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare, anathema ſit?* & ſanè quis neget

get vacare culpa, & eſse laude valde dignum exercitium virtutum moralium in peccatore, & infideli, ſicut etiam virtutum fidei, & ſpei, nec non attritionis ſupernaturalis, quæ antecedunt juſtificationem? Cum enim iſti actus ad juſtificationem diſponant, proculdubio culpa vacant, cum nequeat culpa ad gratiam obtinendam diſponere; id apertiſſimè docuit D. Auguſtin. *Epiſt.* 57. dicens *Eleemoſynas, & orationes Cornelii Centurionis ex gratiæ auxilio factas obtinuiſſe, ut ad juſtificationem perveniret, & in templum Dei ſupradificaretur*: Ex dictis elucet etiam falſitas propoſitionis 8. inter damnatas ab eodem Pontifice: quæ habet: *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare*.

269. Quæritur. An quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficiat etiam fides, ita ut, licèt videantur credere, eorum fides non ſit divina, ſed humana?

Reſp. Quod fides divina non poſſit conſiſtere cum magnis peccatoribus, etiam quando in iis deficit omnis amor, eſt falſum, & expreſsè à prædicto Pontifice damnatum cum propoſ. 12. nam Jacob. 2. dicitur: *quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat*, & 1. *Divi Pauli ad Cor.* 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum*; conſtat enim ſermonem hic eſſe de fide divina, quia Apoſtolus dicit, ſi habuero omnem fidem, atque adeò non ſolùm humanam, ſed etiam Theologicam; conſtat id etiam ex Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 15. ubi docet, *fidem infuſam non amitti per quodvis peccatum* (ſicut amittitur gratia) *ſed per peccatum infidelitatis*, ergo tam in magnis, quàm in non

magnis

magnis peccatoribus perſeverat habitus ſpei infuſæ, ſi mortale ipſi ſpei non adverſetur, aut ſi non adverſetur fidei, quæ eſt ſpei fundamentum; quod pariter docuit Auguſt. *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 18. dicens: *fidem ſine charitate eſſe poſſe, non autem prodeſſe*; ratio autem cur virtus infuſa fidei, nec non ſpei perſeveret etiam in magno peccatore, eſt, quia utraque ad reſurrectionem ſupernaturalem peccatoris diſponit, ac proinde ex mera divina miſericordia utraque perſeverat, ut poſſit facilè peccator ad vitam gratiæ revocari.

270. Quæritur. An fides explicita Trinitatis, & Incarnationis ſit neceſſaria ad juſtificationem?

Reſp. Poſt promulgationem Evangelii eſſe omninò neceſſariam, non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate medii ut probabilius docent D. D.

271. Quæritur. An ſit capax abſolutionis, qui ignorat invincibiliter myſteria fidei credenda explicitè neceſſariò neceſſitate medii.

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia non eſt abſolvendus, qui non adhibet medium neceſſarium ad juſtificationem, nam quod eſt medium neceſſarium ad juſtificationem, eſt medium neceſſarium ad abſolutionem, ſed qui ignorat Deum, ut Remuneratorem non adhibet medium neceſſarium ad juſtificationem, cum fides explicita, & notitia Dei ut Remuneratoris, ſit medium neceſſarium ad illam; ergo qui ignorat etiam invincibiliter eſt incapax abſolutionis; conſtat *ex propoſitione* 64. *inter. damnatas ab Innoc. XI.*

272. Quæritur. An ignorans culpabiliter my-

myſteria Trinitatis, & Incarnationis ſit capax abſolutionis?

Reſp. Conſtat ex præfacta propoſ. 64. eſſe expreſsè damnatam opinionem affirmativam, tanquam ſcandaloſam, & evidenter falſam; ratio eſt, quia non eſt capax abſolutionis, qui actualiter peccat mortaliter, dum abſolvitur, qui enim ignorans culpabiliter hæc duo myſteria abſolvitur, proculdubio mortaliter peccat.

273. Quæritur. An ignorans inculpabiliter eadem duo maſteria ſit abſolutionis capax?

Reſp. Qui dum vivit inculpabiliter ignorat hæc duo myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis incapax eſt abſolutionis, adeò ut Confeſſarius id advertens peccet graviſſimè abſolvendo, & pœnitens petendo abſolutionem; ratio eſt, quia prima pars damnatæ prop. 64. aſſerit abſolutè, eſſe capacem abſolutionis eum, qui ignorat myſteria fidei, ſine diſtinctione ignorantiæ culpabilis, vel inculpabilis; Confeſſarius autem qui non poterit non advertere ruſticitatem, & inſcitiam pœnitentis, atque facile intelliget, quàm ſit ignarus horum miſteriorum, tenebitur ad inſtruendum illum, antequam abſolvat, nam pœnitens ſemper erit abſolutionis incapax, donec ea myſteria competenter addiſcat.

274. Quæritur. An qui ignorat prædicta myſteria ſit incapax abſolutionis non ſolùm quoad licitum, ſed etiam quoad valorem?

Reſp. Magnum eſſe diſcrimen inter hoc, quo quis ſit capax abſolutionis quoad valorem, & hoc; quod ſit capax quoad licitum, nam quamvis ille, qui cum advertentia de illicito accedit ad confeſſionem ſit

etiam

etiam incapax quoad valorem, eo quod actualiter peccans invalidè abſolvitur; tamen poteſt contingere, quod quis accedat bona fide ad confeſſionem, & ignorans invincibiliter id eſſe illicitum, & concurrente eadem bona fide in Confeſſario. abſolutio ſit valida, quamvis ex ſe ſit illicitum facere Confeſſionem eo modo.

275. Ex quibus colligitur. 1. quod, qui ignorat etiam invincibiliter ea myſteria fidei, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem, ſi abſolvitur à peccatis, invalidè abſolvitur, quia non ponit media præcisè neceſſaria ad juſtificationem.

276. Colligitur. 2. invalidè abſolvi eum, qui culpabiliter ignorat myſteria Trinitatis, & Incarnationis, ſi advertat gravem culpam ſuæ ignorantiæ, vel habeat inadvertentiam ejus graviter culpabilem, quia mortaliter peccat in Confeſſione actualiter.

277. Colligitur. 3. Sacerdotem, qui abſolvit ignarum culpabiliter, vel inculpabiliter myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis, mortaliter peccare, non ſolùm, quia tenetur inſtruere pœnitentem circa myſteria neceſſaria, & obligatoria; ſed etiam, quia tenetur eligere in praxi opinionem tutiorem circa valorem Sacramenti, & cum opinio, quæ docet, abſolutionem datam ejuſmodi homini ignaro eorum myſteriorum eſſe invalidam, eſt opinio tutior, ideò tenetur eligere eam ſub culpa mortali.

278. Colligitur. 4. opinionem, quæ docet, abſolutionem datam homini invincibiliter ignaro eorum myſteriorum eſſe validam, probabilem eſſe ſpeculativè, quia probabiliter cenſet, eum hominem abſolutum eſ-

eſſe, illam tamen non eſſe practicè probabilem, quia eſt minus tuta.

279. Quæritur. An ſit abſolvendus moribundus, qui præſumitur ignarus dictorum myſteriorum, & quia ſummè gravatus eſt infirmitate, non poteſt inquiri, an habeat ſufficientem notitiam eorum, neque inſtrui poteſt?

Reſp. Debet abſolvi ſub conditione, cum non ſit certum, illum eſſe indiſpoſitum, aut incapacem abſolutionis, & in dubio tutior pars eſt eligenda pro ſalute moribundi.

280. Quæritur. An ſit abſolvendus, qui per negligentiam culpabilem ignorat alia myſteria fidei ab omnibus ſcienda, & credenda neceſſitate præcepti, v. g. qui culpabiliter ignorat Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, præcepta decalogi, & Eccleſiæ, Sacramenta maximè neceſſaria, ut Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam?

Reſp. Regulariter non eſt abſolvendus, quamvis doleat; ac proponat addiſcere; ratio eſt, quia non facile præſumi poteſt hac in re emendatio, ut docet experientia, & idcircò regulariter differenda eſt abſolutio, donec huic ſuæ obligationi ſatisfaciat; ſi vero ſeriò promittat quamprimum addiſcere, & aliàs non promiſerit, vel non fuerit à Confeſſariis admonitus, poterit abſolvi pro prima vice, ſi doleat de ſua culpabili negligentia: notandum tamen, quod non tenetur ſub mortali hæc omnia ſcire memoriter, ſed ſufficit; ſi interrogatus ſciat reſpondere craſſo ſaltem modo, & quoad ſubſtantiam, niſi impotentia, inca-

capacitas, ſeu ruditas excuſet.

Non ſufficit verò latinè ſcire ea myſteria, ſed vernaculè cum aliqua intelligentia, & apprehenſione illorum pro captu cujuſque; unde magnus eſt abuſus Parochorum, qui contenti docuiſſe Symbolum latine, non explicant rudibus myſteria fidei; panis enim, qui parvulis præbetur, frangendus, comminuendus, maſticandus, & in fauces inferendus eſt, væ Parochis, væ Rectoribus animarum, qui hanc inſtructionem dedignantur.

281. Quæritur An ſint repetendæ Confeſſiones ab eo, qui ignorabat myſteria Trinitatis, & Incarnationis?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia quamvis non abſolvatur licitè, qui ea ignorat, probabilè tamen eſt, quod abſolvatur validè juxtà dicta ſuperius *quæſt.* 274. quoties autem probabile eſt, Confeſſiones præteritas fuiſſe validas, eæ non ſunt repetendæ.

282. Quæritur. An detur præceptum divinum de credendis explicitè præcipuis myſteriis, & ſpecialiter his duobus Trinitatis, & Incarnationis?

Reſp. Affirmativè, quod quidem præceptum conſtat ex *S. Scriptura Marc. cap. ult. Prædicate Evangelium omni Creaturæ, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui verò non crediderit, condemnabitur*; ergo dum Chriſtus Dominus præcipit promulgari Evangelium, utique præcipit promulgari myſteria Trinitatis, & Incarnationis; de aliis myſteriis, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem, nempè de exiſtentia Dei, & de Deo ut Remuneratore, conſtat præceptum ex illo

D. Pau-

D. Pauli teſtimonio *ad Rom.* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator eſt*; An ſufficiat ſemel illa myſteria credidiſse; *vide quæ dixi qu.* 243. & 245. opinio enim docens, ſufficere fidelibus ſemel illa myſteria credidiſſe, expreſsè ab Innoc. XI. cum prop. 65. damnatur.

FORNICATIO.

283. Quæritur. An fornicatio, & pollutio ſint malæ moraliter ex ſola prohibitione Dei, an potius ab intrinſeco, atque adeo ex jure etiam naturali?

Reſp. Eſt de fide, fornicationem, & pollutionem eſſe peccata mortalia, atque adeo intrinſecè mala, quia non ſolum ex prohibitione Dei, ſed ſpecialiter jure naturæ ſunt vetita; conſtat enim ex doctrina, quam tradit Apoſt. *cap. 6. Ep. 6. ad Corinth.* ubi malitiam fornicationis, & cujuslibet actus luxurioſi oſtendit, non à præcepto Domini, quod ſupponit, ſed à varii rationibus; conſtat etiam ex decreto Innoc. XI. damnantis propoſitiones 48. & 49.

284. Ex quibus ſequitur 1. quòd ſicut nemo poteſt complacere ſibi de blaſphemiis in ſomno, aut ebrietate prolatis, aut de parricidio, ita nec de ſolutione naturæ, quam in ſomnis paſſus eſt, quia ſcilicet complacentia de objecto in ſe turpi eſt illicita, & jure naturæ prohibita; licita tamen erit ob motivum præponderans, v. g. valetudinis, ſedandi tentationes carnis, levandi naturam, dummodo ea ſit abſque ulla delectatione moroſa.

286. Sequitur 2. quòd neque licet conſpur-

cationem iſtam in ſomnis habendam deſiderare, niſi fortè ob dictum motivum, dummodò tamen deſiderium ſit ſimplex, & inefficax, nam ſi notabiliter in pollutionem influeret, non excuſaretur à mortali.

286. ſequitur 3. quod à fortiori non licet illam, ut in ſomnis accidat, procurare, v.g. comedendo res calidas in eum finem, aut tali ſitu cubare in lecto, ut ea facilius accidat; dicuntur autem cauſæ pollutionis notabiliter in illam influentes in genere luxuriæ, v.g. oſcula, tactus, aſpectus, cogitationes valdè excitativæ ſpirituum ad generationem deſervientium; leviter verò dicuntur influere: v.g. levis tactus manuum ex vanitate, & joco, lectio vana, & mere curioſa turpium, verba mollia ad conciliandum vanum, ſed non libidinoſum amorem, potos inordinatus vini &c.

287. Quæritur. An demonſtretur malitia intrinſeca actionum obſcænarum ex vehementi paſſione, & voluptate nimia?

Reſp. Quilibet actus obſcænus, ſive luxuriæ naturalis, ſive contranaturalis eſt intrinſecè malus moraliter propter vehementiam voluptatis, non ut cumque ſed propter effectus, qui ex ea vehementia voluptatis oriuntur; hi ſunt: cæcitas mentis, inconſideratio; præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, tædium Dei, affectus præſentis ſæculi, horror, vel deſperatio futuri; ex quibus quatuor priores pertinent ad intellectum, quatuor vero poſteriores ad voluntatem; quæ autem ſint ea mala graviſſima, quæ ex luxuria propter præcipitationem, inconſiderationem, cæcitatem mentis &c. oriuntur, quotidiana experientia, & vetu-

vetuſta annalium totius orbis monumenta demonſtrant; dolere vehemente debemus, quod propter luxuriam Henrici VIII. Lutheri, Calvini, & aliorum hæreſiarcarum maneant adhuc Anglia, Scotia, Svetia, Saxonia, aliæque Provinciæ ſub dominio diaboli.

288. Quæritur. An ſit damnata opinio docens, Deum poſſe diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ Decalogi, atque adeo in precepto non mæchandi?

Reſp. Propoſitio, quæ affirmat, poſſe Deum diſpenſare in omnibus præceptis ſecundæ tabulæ, atque adeo in 6. præcepto, ex eo fundamento, quod ea precepta non ſunt ſtrictè de iure naturæ, ſed ex ſola prohibitione poſitiva Dei, ſubjacet virtualiter damnationi prop. 48. & 49. ratio eſt, quia ea propoſitio eſt antecedens, unde clarè infertur, quod ſi Deus non prohiberet fornicationem, illa eſſet licita, ut ex terminorum comprehenſione conſtat, idcirco ea propoſitio eſt incompoſſibilis cum hac damnatione; ſi vero propoſitio affirmet, poſſe Deum diſpenſare indictis præceptis, mutatis circumſtantiis non ſubjacet damnationi.

FURTUM.

189. QUæritur. An ſit permiſſum furari in extrema neceſſitate?

Reſp. Decretum Innoc. XI. damnans propoſitionem 36. præcipuè intendit damnare, quod in aliquo caſu licitum ſit furari, cum in nullo prorſus caſu id ſit licitum, quia eſt intriſece malum, admittendum ta-

men eſt, quod in extrema neceſſitate licitum ſit ſubripere à divite neceſſaria ad illam ſublevandam, ſive manifeſte, ſive occultè, nec hoc habet rationem furti, vel rapinæ?

290 Quæritur. An opinio docens, licitum eſſe in gravi neceſſitate ſubripere à divite neceſſaria, damnationem incurrat?

Reſp. Affirmativè. damnatio autem non extenditur ad neceſſitatem gravem totius Reipublicæ, in qua Reſpublica, aut ejus nomine Magiſtratus aufert ſuperflua divitum, ut opituletur neceſſitati communi quia neceſſitas gravis Reipublicæ æquivalet extremæ neceſſitati, neque ſub damnatione comprehenditur ſententia docens, licitum eſſe in neceſſitate evidenter urgenti, quam alii vocant quaſi extremam, auferre neceſſaria ad talem neceſſitatem ſublevandam, v. g. cum evidenter inſtat periculum graviſſimi damni, puta, ſi Petro evidenter immineat à mauris periculum captivitatis, & Petrus videat equum alienum ſibi proximum, poteſt enim illum uſurpare ad fugam, & ſic in ſimilibus.

291. Quæritur. An poſſit aliquando pauper extra extremam neceſſitatem aliquid leve ſubripere ad ſub levandam non levem miſeriam?

Reſp. Poſſe per epichejam, quando ex miſericordia, & pietate divitis probabiliter judicari poteſt, quod non ſit invitus ſaltem quoad ſubſtantiam acceptionis, eſto forte credatur invitus quoad modum, quia vellet, ut id ſibi petatur, & non clanculum ſubripiatur; uſus tamen hujus Epichejæ non debet eſſe facilis, nec frequens, nec in

in materia gravi; quin divites in hoc paſſim ſunt rationabiliter inviti.

292. Quæritur. An ille qui committit furta parva, ſubripiendo parvitates ab uno eodemque ſubjecto, & pervenit ad ultimum parvum, quod conſtituat quantitatem gravem, memor furtorum præcedentium, peccet mortaliter in hoc ultimo furto, & teneatur ad reſtitutionem?

Reſp. Peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem, ratio eſt, quia eo ipſo, quod per illud ultimum furtum parvum perveniat ad quantitatem gravem, per illud fit retentor quantitatis gravis, quis ergo poteſt dubitare, retentorem gravis quantitatis alienæ teneri reſtituere, & per eam ultimam parvitatem, quæ conſtituit gravem quantitatem peccare mortaliter; conſtat enim ex propoſ. 38. inter damnatas ab Innoc. XI.

293. Quæritur Quid cenſendum ſit, cum fur eſt immemor furtorum præcedentium?

Reſp. Conſtat ex principiis intrinſecis, etiam in caſu, quo omnes illæ quantitates parvæ ablatæ ſint ſolùm ſub culpa veniali, eo quod fur immemor eſt furtorum levium præcedentium poſtquam illarum recordatur, inſurgere obligationem reſtituendi ſub mortali, non ſolùm id, in quo factus eſt ditior, ſed etiam omnes illas parvas quantitates, quæ conſumptæ ſint, nam ex pluribus obligationibus levibus ejuſdem ordinis reſultat obligatio gravis, ſi ultimum furtum perveniat cum antecedentibus ad quantitatem gravem, ut deducitur ex prætacta propoſitione damnata.

294. Quæritur. An ſubjaceat damnationi

opinio docens, non eſſe peccatum mortale auferre magnam quantitatem à diverſis ſubjectis, auferendo à ſingulis parvam?

Reſp. Eam opinionem omnes communiter Theologi reiiciunt ut improbabilem, propter innumera abſurda, quæ ex illa inferuntur, atque adeo jure meritò manet damnata.

295. Quæritur Quænam cenſeatur quantitas magna, quando aufertur per furta parva?

Reſp. 1. Circa ea, quæ quis aufert ab eodem ſubjecto, ſi ſubripit plures parvas quantitates cum brevi temporis interpolatione inter unam, & aliam ablationem, eadem quantitas, quæ ſufficit ad peccatum mortale ſimul ablata, ſufficit etiam ſucceſſive ablata, ratio eſt, quia idem detrimentum accipit homo, ſi quis ſubripiat ab eo viginti argenteos cum brevi temporis interpolatione, quàm ſi ſimul ſubripiat. Dico 2. quando ablationes parvæ fiunt cum interpolationibus longi temporis reſpectu ejuſdem ſubjecti, ad peccatum mortale, & obligationem reſtitutionis ſub mortali requiritur major quantitas judicio viri prudentis, quam quæ ſufficit ſimul ablata, ratio eſt, quia homines minus ægre ferunt ſibi auferri longo intervallo, & curſu quædam minima, quàm eandem quantitatem ſimul brevi intervallo. Dico 3. circa ea, quæ quis ſubripit à diverſis ſubiectis, adhuc major quantitas requiritur in hoc caſu, ad hoc, ut ſit obligatio reſtituendi ſub mortali, quàm in caſibus antecedentibus; quod ſi pauci fuerint domini, à quibus ſubripitur, minor, ſi verò multi, major quantitas deſignanda eſt.

296.

296. Quæritur Quid dicendum ſit, quando eſt dubium, an interpolatio temporis inter minima furta ſit longa, vel brevis, vel an domini à quibus ſubripiuntur, ſint plures, an pauciores, & ſic in ſimilibus dubiis?

Reſpon. In ordine ad reſtitutionem ſemper ſtandum eſt pro eo, qui patitur detrimentum, & non pro fure, & ideo in ſimilibus dubiis fur obligandus eſt ad reſtitutionem, quia nemini ſua fraus patrocinari debet; in ordine tamen ad punitionem ſtandum eſt pro fure.

297. Quid dicendum de minimis furtis filiorum, Religioſorum, famulorum &c. circà eſculenta, & poculenta, non ea, quæ aliquanto pretioſiora ſunt, ſed quæ deſtinata in alimenta communia eorum, ſi ea furta non ſint ad vendendum illa, ſed ad comedendum actualiter?

Reſp. Conſtat inter Doctores, id minus ſcrupoloſe tractandum. Pro his tamen, & ſimilibus caſibus Confeſſarii non facile diſſimulent in furtis etiam minutis, & quæ ad mortale non pertingunt, ſed pro conditione, & capacite perſonarum ſemper aliquam reſtitutionem injungant; hac enim ratione, cum non impune tranſeunt, magis ab hujuſmodi peccatis abſterrentur, quàm aliis pœnitentiis, alioquin fiunt ad talia furtula faciliores, & ad majora gradum faciunt.

GRATIA:

298. Quæritur. An gratia ſufficiens non ſolum non ſit nobis utilis, ſed potius pernicioſa?

Reſp. Nonnulli affirmarunt, gratiam ſufficientem ſtatui noſtro eſſe potius detrimento, quàm utilitati, atque adeo docuerunt, poſſe nos petere à Deo: *à gratia ſufficienti libera nos Domine*; hic tamen error utpote hæreticalis expreſſe eſt damnatus ab Alexandro VIII. cum propoſ. 6. ratio eſt, quia gratia ſufficiens eſt illa, quæ complet actum primum ad ſalutariter operandum, hujuſmodi autem complementum eſt ingens beneficium Dei, ſiquidem eſt baſis, ac fundamentum totius ædificii ſpiritualis, & quod gratia ſufficiens ſit pure ſufficiens, & non ſit efficax, id non habet de ſe, ſed ex culpa voluntatis; ad eum modum, quo habere oculos, ſeu ſufficientiam ad videndum eſt magnum beneficium in ordine naturali, quod ſi quis claudendo palpebras non videat, is non debet carentiam viſionis aſcribere oculis, aut Auctori naturæ, ſed ſibi, qui non vult uti oculis ad videndum; idcirco debemus petere à defectu noſtræ cooperationis miſericorditer liberari.

G. U. L. A.

299. QUæritur. An ſit licitum comedere propter voluptatem cibum neceſſarium ad ſuſtentationem vitæ?

Reſp. Affirmative, ratio eſt, quia finis voluptatis ſubordinatur fini neceſſitatis, tum quia ex eo, quod quis comedat propter voluptatem cibum moderatum, aut neceſſarium, non ſequitur, quod comedat uſque ad ſatietatem, & propter ſolam voluptatem, qui ſunt termini contenti in propoſ. 8. inter damnatas ab Innoc. XI.

300.

300. Quæritur. An damnationi ſubjaceat opinio aſſerens: comedere, & bibere uſque ad ſatietatem non eſſe peccatum, dummodo non obſit valetudini?

Reſp. Immoderati cibi manducationem, ſive ſatietatem eſſe per ſe motivum hujus damnationis, & merito ea 8. propoſitio damnatur, propterea quod aſſerit, nullum eſse peccatum comedere, & bibere uſque ad ſatietatem, nam ex ſententia multorum SS. Patrum peccatum veniale gulæ committitur, cum in ipſa quantitate ſumendi, menſura refectionis exceditur, etiam ſi valetudini non noceat.

301 Quæritur. An ſit licitum comedere, & bibere ob ſolam voluptatem, dummodo non obſit valetudini?

Reſp. Opinio docens, eſse licitum comedere, & bibere ob ſolam voluptatem, nullum eſse peccatum, ſub eadem damnatione comprehenditur; ratio eſt, quia finis, & ordo à natura inſtitutus in comeſtione eſt, quod comeſtio fiat propter ſuſtentationem vitæ, unde fit, quod qui comedit non propter vitæ ſuſtentationem, ſed ob ſolam voluptatem, prevertit finem, & ordinem naturę, & per conſequens peccat venialiter.

302. Quæritur. An comprehendatur ſub damnatione opinio aſserens, quod licite poſſit appetitus naturalis ſuis actibus frui?

Reſp. Ea propoſitio ſumpta in ſuo ſenſu univerſali ſub damnatione comprehenditur; & quidem ſi talis propoſitio non exprimeretur in dicta 8. propoſitione damnata, ea maneret reprobata, ſeu antiquata, nam ſi conſequens eſt falſum, & reprobatione dignum, antecedens debet etiam eſse falſum,

& dignum reprobatione; cum ergo ea propoſitio univerſalis: *licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*; ſit antecedens, undè legitimè infertur, quod licet comedere, & bibere ob ſolam voluptatem, ſit, quod reprobato hoc conſequenti, reprobatum etiam maneat antecedens, ſcilicet, dicta propoſitio univerſalis.

303. Quæritur. An ſit damnata opinio aſſerens, nullum eſſe peccatum audire muſicam, res pulchras inſpicere, & aromata odorari, tabacum ſumere?

Reſp. Omnia delectabilia habere pro regula neceſſitatem congruentiæ, quare omnia debent aſſumi ſecundùm finem ſuum, ad quem ſunt ordinata, nempè ad eam neceſſitatem ſublevandam; audiuntur concentus muſici ad triſtitiam fugandam, tabacum ſumitur, olfiunt aromata, quia utilia ad capitis purgationem, & confortationem; inſpiciuntur res pulchræ, quia utile eſt habere ſcientiam experimentalem rerum omnium ad rectè gubernandam vitam, dum talis ſcientia nihil affert nocumenti; aſſumuntur etiam hæc delectabilia pro honeſta recreatione, & levamine naturæ ab his, qui labori incumbunt; qui autem illa delectabilia aſſumunt propter ſolam delectationem, deficiunt à ſupradicta regula rationis, & peccant venialiter contra præſcriptum temperantiæ, & per conſequens dicendum eſt, opinionem docentem; nullum eſſe peccatum, aſſumere ea delectabilia propter ſolam voluptatem; manere damnatam non formaliter, & expreſsè, ut conſtat ex diverſitate propoſitionis 8. quæ non includit formaliter hanc, de qua agitur, ſed tantùm.

tùm virtualiter, nam ut dictum eſt in precedenti reſolutione, damnata manet ea propoſitio univerſalis: *licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*; id eſt illos elicere propter ſolam voluptatem.

HORÆ CANONICÆ.

304. Quæritur. An præceptum recitandi horas canonicas verſetur circa materiam dividuam?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia tale præceptum dividitur in ſeptem horas canonicas.

305. Quæritur. An qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, teneatur ad reliquas horas?

Reſp. teneri, ratio eſt, quia quando materia præcepti non eſt individua, qui non poteſt implere totam materiam præcepti, tenetur ad partem, quam poteſt; materia enim hujus præcepti recitandi horas canonicas, ut dictum eſt, non eſt individua, propterea qui non poteſt recitare Matutinum, & laudes, tenetur ad reliquas horas, quas poteſt, ſive teneatur ex juſtitia, ſive non, ut patet manifeſte ex propoſitione 34. inter damnatas ab Innoc. XI.

306. Quæritur An ægrotus, qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, & dubitat an poſſit reliquas horas, teneatur ad illas?

Reſp. Quando certum eſt, ægrotum non poſſe ſine gravi incommodo, aut periculo recitare totum officium, & dubitatur, an poſſit aliquam partem recitare; illum ad nihil teneri; ratio eſt, quia præce-

ptum recitandi horas canonicas non obligat cum gravi detrimento valetudinis; cum ergo dubitatur, an poſſit ægrotus recitare aliquam partem officii canonici, & dubitatio eſt, an recitatio ejus partis allatura ſit detrimentum ægroto; id enim perinde ſe habet, ac timere periculum ejuſmodi detrimenti, & ideò dum dubitatur, an poſſit recitare, rationabiliter timetur periculum detrimenti, & ita ægrotus liber manet ab obligatione præcepti; Deinde quando dubitatur de obligatione præcepti ob talem circumſtantiam, quæ ex una parte minitatur detrimentum, ex altera verò inducit in perplexitatem, & ſcrupulum, cum homo ex tali circumſtantia verſetur inter duo pericula valetudinis, & conſcientiæ, tunc talis circumſtantia, quæ talem dubitationem producit, omninò excuſat ab obligatione præcepti.

307. Quæritur. An qui non poteſt recitare unam horam integram, teneatur ad recitandam partem ejus, quam poteſt?

Reſp. Juxta ſententiam probabilem non teneri, ratio eſt, quia Eccleſia præcipit, ut horæ recitentur integræ, alioquin non poſsunt dici abſolutè horæ canonicæ; dicentur autem horæ, quamvis aliqua minor pars deſit, quia v. g. deeſt aliquod folium in Breviario, quod ſuppleri non poteſt, & hæc ſententia neque formaliter, neque virtualiter manet damnata, nam ex ea non infertur evidenter propoſ. 54. ab Innoc. damnata, quia auctores ejus ſententiæ aſſignant manifeſtum diſcrimen; Probabilius tamen eſse videtur, illum ad recitandam partem horæ, quam poteſt, obligari, etiam, ſi reli-

liquam partem non poſſit, ratio eſt; quia præceptum de ſingulis horis recitandis non debet cenſeri, continere materiam individuam, quia non datur fundamentum urgens, ut hoc cenſeatur; atque adeo qui non poteſt recitare aliquam partem magnam Matutini, Primæ, Tertiæ &c. tenetur ad recitationem ſingulorum Pſalmorum, Orationum, Lectionum &c. & hæc eſt intentio Eccleſiæ; neque ex hac ſententia ſequitur, quod ægrotus incidat in perplexitatem, & ſcrupulos, ſtandum enim eſt in ea doctrina tradita ſub præcedenti.

308. Quæritur. An Cæcus excuſetur à recitatione partis officii, quam memoria retinet eodem modo ac ægrotus?

Reſp. Quamvis aliquibus videatur, eodem modo in Cæco, qui non laborat alio morbo quàm cecitate, ac in ægroto diſcurrendum eſſe, & aſſerendum; nihilominus tamen non eſt in cæco, aliàs ſanitate participe, eadem ratio ac in ægroto, de ægroto enim præcipue febricitante dubitatur, an illa pars officii afferat ei nocumentum, & hoc modo periclitatur, quod non evenit in Cæco aliàs ſano.

309. Quæritur. An, qui non poteſt recitare duos poſtremos Nocturnos ex matutino duplici, vel ſemiduplici, poteſt autem primum, teneatur ad hunc recitandum?

Reſp. Teneri, ratio eſt, quia quilibet nocturnus conſideratur ad modum unius horæ integræ, nam unus nocturnus conſtituit totum matutinum Paſchatis, & Pentecoſtes; tum etiam, quia præceptum Eccleſiæ, ut terminatur ad nocturnos, continet materiam dividuam, olim enim dividebantur

in

in Choro per diverſas horas noctis; ergo præceptum obligat ad quemlibet nocturnum per ſe, etiam independenter ab alio, vel ad laudes, ſi non poſſit recitari matutinum.

310. Quæritur An ægrotus, vel cæcus, qui, commodè poteſt ſolùm cum ſocio horas recitare, teneatur illum advocare?

Reſp. affirmativè, ſi abſque magno incommodo poſſit, ratio eſt, quia univerſim quando præcipitur finis, præcipitur etiam, quod media ad illum adhibeantur; ſic Beneficiarius, qui indiget ſocio ad horas recitandas, quem habere non poteſt ſine aliquo ſumptu, qui illi non ſit valde gravis, adhuc cum eo ſumptu tenetur ſocium advocare; & qui tenetur ad horas recitandas, tenetur etiam breviarium emere, ſi aliunde non habeat; & qui febri, aut alio impedimento laborat tempore ſingulis horis præſtituto, non poteſt illas omittere, ſed tenetur eas prævenire, ſi commode fieri poſſit, quia integra dies eſt aſſignata iis recitandis.

311. Quæritur An qui in die Palmarum recitat officium Paſchæ ſatisfaciat præcepto?

Reſp. Negativè, ut patet manifeſtè ex propoſ. 34. inter damnatas ab Alexandro VII. ratio eſt, quia præter illam mutationem ſubſtantialem ritus extraordinarii in ordinarium, datur etiam notabilis variatio quoad officii qualitatem, maximè enim videtur deducere, quod ritus proprius lætiſſimæ Dominicæ Reſurrectionis adhibeatur pro ritu lugubri addicto Dominicæ Palmarum; hinc mortaliter peccat, qui advertenter formam breviarii non ſervat, recitan-

tando v. g. de ſancto, dum eſt recitandum de feria, vel de alio ſancto; ſimiliter legendo officium adventus tempore Quadrageſimæ, vel è converſò, quia non implet præceptum quoad ſubſtantiam, nam ſubſtantia præcepti in particulari, & in individuo eſt, quod conſtet ex his pſalmis, & ex his lectionibus; Ex quibus ſequitur 1. quod qui involuntariè unum officium pro alio recitat, teneatur, dùm ad mutationem, vel errorem advertit, omiſſa ſupplere; ſequitur 2. quòd qui involuntariè hodie recitat de ſancto craſtino; probabilius teneatur iterum cras de eodem ſancto recitare, ne bis erret; ſequitur 3. quod qui impotens eſt ratione ægritudinis, itineris, mediæ noctis imminentis &c. integrum officium longum recitare, poſſit, & conſultius ſit aliud officium brevius, quod poteſt, integrum recitare, nam præſtat ſubſtantiam præcepti implere cum aliqua levi mutatione, quàm officium debitum mutilare notabiliter.

312. Quæritur. An ſicut ſub gravi præcipitur ritus ſervandus in recitandis horis, ita etiam ſub gravi præcipiatur ritus ſervandus in Miſſæ celebratione?

Reſp. Affirmativè, ut videre eſt in Bulla Pii V. quæ Miſſali præfigitur, atque adeò ſolùm materiæ levitas poterit à mortali excuſare, ſicut autem graviter variaretur ritus, ſi die Palmarum recitaretur officium Paſchale, ita pariter ſi eodem die Miſſa Paſchæ celebraretur.

313. Quæritur. An unico officio poſſit quis ſatisfacere duplici precepto pro die præſenti, & craſtino?

Reſp.

Reſp. Negativè; quia id expreſsè prohibetur in decreto Alexandri VII. damnantis propoſ. 35. ratio eſt, quia onus recitandi horas eſt affixum diei, non quatenus quolibet die debeat recitari matutinum, & laudes cum poſſit hodie recitari duplex matutinum, alterum manè pro die hodierno, alterum veſpere pro die craſtino, ſed dicitur onus affixum diei, quatenus pro quolibet die officium recitari debet; ergo ſicut dies duplex non poteſt eſſe unus, ita pro duplici die non poteſt unum, idemque officium recitari.

JEJUNIUM.

314. Quæritur. An frangens jejunium Eccleſiaſticum, ad quod tenetur, peccet mortaliter, ſi illud non frangat ex inobedientia, vel contemptu præcepti?

Reſp. Peccare mortaliter, ut conſtat ex propoſ. 23. inter damnatas ab Alexandro VII. ratio eſt, quia ex firma perſuaſione fideles poſſunt, ad jejunia Eccleſiaſtica ſe graviter obligari, adeo ut à puero, diſcendo catechiſmum, quilibet apprehendat, omnia quinque præcepta Eccleſiæ eſſe graviter obligatoria, & eorum tranſgreſſionem eſſe culpam mortalem, tum etiam quia univerſim lex canonica, quæ ordinatur ad animarum ſalutem, obligat ſemper ſub mortali, ſi contineat materiam gravem ad bonum animarum conducentem, ſed lex canonica præcipiens jejunium (idemque dicas de lege precipiente obſervantiam feſtorum, ut patet ex: propoſ. 52. inter damnatas ab Innoc. XI.) continet materiam gravem, & maximè ad bonum.

num animarum conducit, ergo obligat in conſcientia graviter, adeo ut earum tranſgreſſio ſit mortais.

315. Quæritur Quot concurrant ad ſubſtantiam jejunii Eccleſiaſtici?

Reſp. Duo 1. unica comeſtio, ſeu abſtinentia à ſecunda refectione (quamvis ex indulgentia Eccleſiæ, & conſuetudine legitima praxis ſit ſerotina collatiuncula) 2. abſtinentia à carnibus, & cæteris, quæ ſementinam originem à carnibus trahunt, ut caſeo, lacte, & ovis &c.

316. Quæritur. An mortaliter peccet, ſine cauſa refectionem in die jejunii notabiliter anticipat?

Reſp. Peccare ſolum venialiter, ratio eſt, quia per anticipationem prandii non violatur ſubſtantia, ſed circumſtantia præcepti, quæ eſt tantùm accidentalis, ideoque, ſi rationabili cauſa fiat, nullum peccatum erit, idem dicendum de ſumente collatiunculam circa meridiem, & cænam in noctem, ſeu ad veſperam differente.

317. Quæritur. An frangat jejunium, qui diſpenſatus ad edendas carnes pluries in die comedit?

Reſp. Vel ei licentiam comedendi carnes conceditur ob debilitatem naturæ, & quia indiget frequentiori refectione, quàm unice ad reficiendas vires; vel quia ſibi alii cibi nocent, cum alioquin ſit fortis viribus, & ſanus: in primo caſu à jejunio excuſatur, non verò in ſecundo; ratio eſt, quia jejunium duo præcepta diſtincta includit, alterum de abſtinentia à multiplici refectione, & alterum de abſtinentia à carnibus, & cibis vetitis, quæ ſunt ſeparabilia, ut patet

in

in diebus dominicis, ceſſante præcepto jejunii durat illud abſtinentiæ à carnibus, caſeo, ovis, lacte &c. & SS. D. N. Clementi XI. nunc feliciter Regnanti placuit, ſententiam hanc Romæ in praxim deduci; quapropter violantes jejunium comedendo carnes, & multipliciter ſe reficientes in die, duo peccata ſpecie diſtincta committunt, & toties mortaliter peccant, quoties ſine legitima cauſa die interdicto carnes, vel alios cibos prohibitos comedunt, niſi materiæ parvitas eos excuſet.

316. Quęritur. An ignorans eſſe diem jejunii, ſi mane ſumat jentaculum, & poſtea advertat urgere præceptum jejunii, teneatur jejunare?

Reſp. Affimativè, nam, aut ſumptum manè jentaculum fuit ſufficiens corporis refectio, vel inſufficiens; ſi primum, tunc intermiſſo prandio contentus eſſe debet veſpertina collatione; ſi ſecundum, tunc jentaculo illo matutino pro collatione reputato, poterit, intermiſſo omninò prandio, noctu cænare, vel in meridie ſe reficere.

319. Quæritur. Quanta eſſe debeat quantitas cibi permiſſa in ſerotina Collatiuncula?

Reſp. Modica, ne cænula in cænam tranſeat, in qua exceditur, quando id quod ſumitur notabiliter majus eſt quarta parte ejus quantitatis, quæ ad integram cænam ſufficeret, unde D.D. eam taxant ad octo circiter uncias.

330. Quæritur. Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum pœnitente, qui ſe accuſat jejunium fregiſſe?

Reſp. Debet interrogare, quoties violaverit an cibis vetitis, & quoties in die iſtos

iſtos comederit; an obſtrictus ad jejunandum fuerit etiam ex voto; an aliorum ſcandalo; an alios ad jejunium violandum induxerit, & quot, & quoties; an crediderit, jejunium ab Eccleſia non poſſe precipi, quia in iſto caſu eſſet hæreticus; an docuerit, frangentem jejunium non peccare mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, quod Alexand. VII. ſub cenſura reſervata prohibuit aſſerere.

321. Quæritur. An qui in die jejunii ſæpius modicum quid comedit, ſi notabilem quantitatem in fine comederit, frangat jejunium?

Reſp. Affimativè, ut patet manifeſtè ex decreto Alexand. VII. damnantis propoſ. 29. ratio eſt, quia licèt univerſim quoties aliquid prohibetur ſub gravi, ratione parvitatis materiæ hìc, & nunc adverſus tale præceptum peccetur ſolùm venialiter; graviter tamen peccatur quando ob multiplicationem materiarum parvarum devenitur ad materiam notabilem ab eo præcepto prohibitam, dummodo in illa ultima materia parva advertatur, quod cum reliquis præteritis materia notabilis conſurgat; ergo in noſtro caſu peccatur graviter quoties in die jejunii ſæpius modicum comeditur, ita ut in fine deveniatur ad materiam gravem, jejunii præcepto prohibitam; ſicut non alia de cauſa peccatur graviter in ultimo furtulo, quando ſæpius modicum ſubripitur, ut docent com. D. D. & conſtat ex prop. 38. inter damnatas ab Innoc. XI. ratio eſt quia eodem modo opponitur voluntati, & fini legiſlatoris materia notabilis prohibita, ſive ea ponatur ſimul,

mul, ſivè per plures actus, qui in unum moraliter coaleſcunt.

322. Quæritur. An qui parum in die jejunii ſæpius comedit, quantum ſufficit, ne potus alioquin neceſſarius noceat, jejunium frangat?

Reſp. Negative, quia cum ſumatur per modum medicinæ in valdè modica quantitate, & ad vitandum damnum notabile, non cenſetur ab Eccleſia prohiberi; ſecus vero ſi quis comedat pluries parum, ne potus noceat, ad quem invitatur ab amico, ſi hujuſmodi potus non ſit neceſſarius; mera enim amici invitatio ad comedendum, aut bibendum non ſufficit ad excuſandum à culpa invitatum in die jejunii; idem aſſerendum de potione dicta cioccolata.

323. Quæritur. An omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant ſint excuſati ab obligatione jejunii, quin debeant ſe certificare, an labor ſit compatiblis cum jejunio?

Reſp. ſententiam affirmativam expreſsè damnavit Alexand. VII. cum propoſ. 30. & meritò, quia ſi ob incommodum, quod ſubeunt tota die laborando, omnes artifices deberent à lege jejunii eximi, deberent à fortiori eximi, qui ſtudiis vacant, & qui ingenuas, & liberales artes exercent, quippe qui ſæpè majus incommodum ſubeunt, quam ſcriptores, Notarii, filum ex lana, vel lino nentes, Typographi, literas ordinantes, & alii hujuſmodi, qui laborant corporaliter? illorum autem incommodum non cenſetur ſufficiens ad eos à jejunio eximendos, ergo à fortiori nec labor iſtorum, cum ſit compatibilis cum jejunio,

junio, niſi cauſa legitima eos excuſet.

324. Quæritur. Quinam excuſentur ab obligatione jejunii?

Reſp. 1. Omnes, qui annum 21. non compleverunt, ſi antea jejunare non voverunt, vel ſi pro pœnitentia eis jejunium impoſitum non fuit. 2. Excuſantur ſexagenarii, modo robuſti, ſani, ac validi non ſint, quia hi tenentur jejunare. 3. Excuſantur infirmi, convaleſcentes, debiles, prægnantes, lactantes, laborantes, quorum labor cum jejunio non eſt compatibilis, & pauperes, qui neceſſariis carent ad unicam ſufficientem refectionem.

325. Non excuſantur Avvocati, Procuratores, Medici, Notarii, Scribæ, Pictores, Aromatarii, Barbitonſores, Sartores, nec famuli ſequentes dominum non valde gravati laboritio domeſtico, & generaliter omnes, quorum labor cum jejunio eſt moraliter compatibilis, neque concionatores, lectores, Confeſſarii regulariter excuſantur, niſi in aliquo caſu particulari, de quo D. D.

326. Quæritur. An officiales, qui dubitant, utrum ipſorum labor ſit cum jejunio compatibilis, teneantur jejunare?

Reſp. Affirmative, niſi dubium deponant, nam poſſeſſio ſtat pro præcepto, & in dubio recurri debet pro diſpenſatione ad Epiſcopum, Parochum, Confeſſarium, vel Medicum: verum quidem eſt ex Eccleſiæ benignitate, ut à jejunio liberentur fideles, non eſſe expectandum grave detrimentum, ſed ſufficere timorem rationabilem, ac prudentem, non ſolùm detrimenti graviſſimi, puta, amittendi vitam,

ſed

ſed etiam mali notabilis, ut ſi quis ex jejunio impediretur ob operationibus ſibi conſonis, ac debitis.

327. Quæritur. An Caupones, & Tabernarii vendentes, vel miniſtrantes cibos, teneantur interrogare hoſpites, an habeant juſtam cauſam non jejunandi?

Reſp. Negativè, ſed debent præſumere quemlibet eſſe memorem ſuæ ſalutis, & obligationis, adeoque eos habere juſtam cauſam cœnandi, vel ſe reficiendi, nam ſemper præſumendum eſt bene de proximo, niſi de oppoſito quis ſit moraliter certus; quapropter interrogandi ſunt à Confeſſario, an cibos vetitos in die jejunii obligatis ad jejunandum appoſuerint? an ſcientes, eos ſe refeciſſe in prandio, cœnam paraverint, quando ex negatione rationabiliter non timebant, ſibi eventurum grave damnum, vel ſi prudenter non credebant, quod negando, gravius Deum offenderent, evomendo blaſphemias, & convicia) an id fecerint in contemptum legis, & cum ſcandalo, maximè infidelium.

328. Quæritur. An excuſentur à lege jejunii, etiam diebus feſtis, in quibus non laborant, ii qui exercent artes manifeſtè laborioſas, ut ſunt Agricultores, Ferrarii, Lignarii, Foſſores, & ſimiles?

Reſp. Aliqui putant, tunc ſolùm excuſari, quando ex præcedentibus laboribus experiuntur laſſitudinem, aut ad laborem ſequentis diei minus apti redduntur; Alii verò abſolutè eos liberant à jejunio, quia in ipſo labore improbo iſtorum artificium imbibitur laſſitudo, & debilitas indigens virium refectione, aliter aditus aperiretur ſcru-

ſcrupulis, & anxietatibus; utrumque eſt probabile, in dubio etiam ex declaratione, ſeu privilegio Eugenii 4. excuſantur.

329. Quæritur. An excuſentur à jejunio omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiam ſi iter unius diei conficiant?

Reſp. Conſtat ex decreto Alexandri VII. damnantis propoſ. 31. non excuſari; ratio eſt, quia lex jejunii obligat quoties ſine magno incommodo poteſt jejunium ſervari, ſed proculdubio paſſim ſine magno incommodo ſervari poteſt jejunium ab iter agentibus, præſertim ſi curru, aut equo commodo iter habeant, & iter ſit paucorum dierum, ut experientia teſtatur, & communiter D. D. advertunt, ad ſummum poſſe eximi à tali obligatione eos, qui iter agunt pedeſtres per magnam diei partem, vel curru, aut equo incommodo iter habent diuturnum, videlicet per octo, aut decem dies, dummodo iter ex honeſta cauſa aſſumatur, & non in fraudem jejunii; ergo nullatenus eximendi ſunt ab onere jejunandi, qui utcumque iter agunt, quamvis non neceſſarium, & unius diei.

330. Quæritur. An quando iter eſt arduum, in quo fere omnes multùm, deſatigantur, ut eſt iter pedeſtre majoris partis unius diei, puta XVIII. vel XX. miliariorum plus, minuſvè, aut iter eſt equeſtre non paucorum dierum, ſi certum ſit, aliquem ſine magno incommodo poſſe etiam jejunare, teneatur ad jejunium?

Reſp. Affirmativè; ſi verò dubitetur, poterit ex communiter contingentibus probabiliter opinari, quod magnum incommodum

dum ſit reportandum, & tunc ceſſabit obligatio jeiunii; ubi verò inter non ſit arduum, ille tantùm erit exemptus, cui conſtat ex propria debilitate, aut ægritudine magnum nocumentum eſſe reportandum; quod ſi de hoc etiam dubitetur, adhibendum conſilium Medici, vel peritorum, aut petenda diſpenſatio, aliter jeiunandum, quia ſtat in poſſeſſione præceptum, niſi detur fortè rationabilis timor mali gravis, qui pariter ex benignitate Eccleſiæ, ut dictum eſt, ſufficiens eſt ad deobligandum à jeiunio; eadem doctrina ſervanda eſt pro venditoribus, qui tota die per vicos, & plateas diſcurrunt, merces ſuas vendendo.

331. Quæritur. An iter alioquin arduum, ſi non ſit neceſſarium, excuſet ab obligatione jeiunii?

Reſp. Neminem poſſe arripere iter non neceſſarium, aut aliter defatigari, v. g. pilæ ludo, aut haſtiludio; vel venatione eo die, quo urget præceptum jeiunii, præcisè ut à jeiunio deobligetur, cum nemo poſſit apponere impedimentum directum excuſationi præcepti iam urgentis, ratio eſt, quia qui præcipit finem, præcipit etiam id, quod eſt neceſſarium ad talem finem, atque adeo Eccleſia præcipiendo ieiunium, præcipit etiam, ne apponantur liberè hæc impedimenta; nec dicas, hominem habere ius ad iter habendum, ludendum, venandum etiam eo die, quo præceptum urget, atque adeo poſſe licite iter arripere, ludere, venari in fraudem ieiunii, nam ex hoc ipſo, quod præcipiatur ab Eccleſia ieiunium, ceſſat ius ad iter illud habendum, venandum, ludendum, ſicut ex

hoc

hoc ipſo, quod præcipiatur auditio ſacri, ceſſat jus, ſeu libera facultas manendi domi eo die, cum teneatur quilibet legitime non impeditus adire Eccleſiam ad ſacrum audiendum; ſi verò hæc fiant rarò, & non in fraudem jeiunii, ſed directe intendatur honeſta, & licita recreatio, ceſſabit jeiunii obligatio, ſi rationabiliter dubitetur, quod ex jeiunio grave nocumentum reportandum ſit.

332. Quæritur. An itinerantes, ſi in cauponiis hora meridiana, non reperiant cibum ſufficientem, teneantur cœnulam ſerotinam ſumere meridie, & cœnam differre ad tempus nocturnum, an vero ſint à ieiunio liberi?

Reſp. Teneri ad ieiunium ſervandum transferendo cœnam ad tempus nocturnum, niſi per accidens à nimia defatigatione excuſentur; cum enim ratio ieiunii bene conſiſtat, etiam ſi manè cœnula ſumatur, ideo quamvis ſine cauſa non liceat citra veniale cœnulam ſumere manè, in caſu noſtro datur cauſa ſufficiens, ut etiam citra veniale manè ſumatur.

333. Quæritur. An conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadrageſima obliget ſub mortali?

Reſp. Affirmativè, ut conſtat, tum ex iure *cap. Denique diſt.* 4. tum ex decreto Alexand. VII. damnantis prop. 23. (quamvis id in proſcriptione non exprimatur) & iſta eſt communis fidelium perſuaſio, & communiſſimus Theologorum ſenſus, quod obliget graviter, propterea qui doceret poſt hanc propoſitionem damnatam, conſuetudinem iſtam obligare tantùm ſub

veniali ſi minus explicitè contradiceret definitioni Pontificis, implicitè certè contradiceret.

334. Quæritur. An diſpenſatus ad ova, & lacticinia teneatur jeiunare?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia cùm abſtinentia ab ovis, & lacticiniis non ſpectet ad eſſentiam jeiunii, ſequitur, quod diſpenſatus ad iſta, teneatur jeiunare, niſi rationabilis cauſa eum excuſet.

335. Quæritur. An ovorum, & lacticiniorum uſus interdictus ſit etiam diebus Dominicis occurrentibus intra Quadrageſimam?

Reſp. Eſſe interdictum eorum uſum, tum ex vi conſuetudinis legitime præſcriptæ, tum ratione præcepti ex cit. *cap. Denique*, in quo præcipitur etiam in dictis Dominicis abſtinentia à lacticiniis, quamvis in illis non extet præceptum jeiunandi.

337. Quæritur. An in diebus Dominicis liceat jeiunare?

Reſp. Per ſe loquendo licet, per accidens verò illicitum eſſe poteſt, vel ratione finis mali, & ſuperſtitioſi, vel contemptus Religionis catholicæ, idcirco ad evitandum errorem Manicheorum, & Priſcillianiſtarum, qui in contemptum Reſurrectionis Chriſti, quaſi vera non eſſet, jeiunium die dominico præcipiebant, Sacri canones *cap. ne quis jejunet diſt. 3. de conſecrat. & alibi*, jeiunium die Dominico interdixerunt.

337. Quæritur. An diſpenſatus ad carnes in Quadrageſima, poſſit tuta conſcientia illis uti in diebus veneris, ſabbati, quatuor Temporum in ea incidentibus?

Reſp. Negativè, ſed eget expreſſa licentia ſpecificante illos dies, ut habetur *in decreto.*

creto SS. D. N. Clem. XI. die 24. *Febr*. 1702. *publicato*, ubi dicitur: Animadvertant Medici, & qui licentiam petunt; ut attendant qualitati carnium, ſcilicet quod ſint ſalubres, quia hæ ſolùm permittuntur in quadrageſima his, qui ex juſta cauſa nequeunt veſci cibis quadrageſimalibus; quod ſi neceſſitati poteſt ſubveniri per ova, & lacticinia, nec Medici debent permittere, nec fideles adhibere carnes, etiam ſalubres. Qui verò toto anni tempore abſtinent à carnibus diebus veneris, & ſabbati, quatuor temporibus, necnon vigiliis de præcepto, multò magis ſi prædicti dies incidant in quadrageſima, debent abſtinere à carne, niſi nova ſuperveniens cauſa aliud exigat: cumque ſuper hoc nequeat ſtabiliri regula fixa, & determinata, debet quiſque primò conſiderare ſuam neceſſitatem ſuaſque indiſpoſitiones, ita ut non ſint affectatæ; cum reddituri ſint rationem Deo; coràm quo nihil valebunt licentiæ ex cauſis vel ſuppoſitis, vel fictis: Hæc Decretum.

338. Quæritur. An extra quadrageſimam in jejuniis de præcepto ova, & lacticinia interdicantur?

Reſp. Quamvìs iure communi ova, & lacticinia in jejuniis de præcepto extra quadrageſimam non interdicatur, ubi vero conſuetudo ea non comedendi eſt immemorabilis, prout eſt conſuetudo pro tempore quadrageſimæ, ut communiter fideles eodem modo à lacticiniis abſtinent in iis jejuniis non ex ignorantia, ſed ex communi perſuaſione, quod detur iſta obligatio, proculdubio ea erit graviter obligatoria, quamvis ignoretur, utrum fuerit introducta à populo

H 2 ani-

animo ſe obligandi; ſi verò de hac circumſtantia dubitetur, probabile eſt, eam ſaltem ſub gravi non obligare, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis.

339. Quæritur. An habens facultatem comedendi ova, & lacticinia diebus ieiuniorum, poſſit etiam comedere ſagimen, & laridum?

Reſp. Negativè, niſi forte in aliqua regione ratione inveteratæ conſuetudinis permittatur, & in aliquibus Provinciis propter olei penuriam introductum eſt, quod ſagimine uti poſſint pro oleo, etiam iis diebus, quibus tenentur ab ovis, & lacticiniis abſtinere. quod cum fiat (ſcientibus, & tacentibus Prælatis) qui in hoc poſſunt diſpenſare, cenſentur in hoc diſpenſaſſe.

340. Quæritur. An Catholicus exiſtens in Hæreticorum, & Turcarum locis, poſſit licitè in diebus ieiunii de præcepto carnes, & lacticinia comedere?

Reſp. Negativè, ſi comeſtio illa, data opera, proponeretur ad cognoſcendum; quis eſſet Catholicus, & quis Infidelis, aut in contemptum Eccleſiæ, vèl ex ea ſequeretur grave ſcandalum; ſi verò non ad hunc finem proponeretur, & aliàs grave damnum ſibi ex non comeſtione immineret, licite poſſet ea comedere; verùm ſi nihil mali timeretur, & alii cibi non deeſſent, neque in ſecreto poſſet ea comedere, quia nullus excuſatur à lege Eccleſiaſtica, præcisè, quia eſt inter infideles, cum leges communes Eccleſiæ ſequantur non locum, ſed perſonam.

IGNO-

IGNORANTIA.

341. QUæritur. An ignorantia invincibilis iuris naturæ excuſet à peccato formali operantem ex ipſa?

Reſp. Affirmativè, contra Novatores cum Jaſenio docentes peccatum ex ignorantia invincibili iuris naturalis patratum eſſe formale, & non merè materiale, quorum falſa doctrina expreſsè damnatur ab Alexandro VIII. cum *propoſ. 2. in ſecundo Decreto*, ratio eſt, quia ignorantia invincibilis iuris poſitivi in omnium ſcientia excuſat à peccato formali, ergo etiam ignorantia invincibilis iuris naturæ, antecedens eſt certum, conſequentia probatur *ex D. Thoma, qui univerſim de quacumque ignorantia invincibili loquens part. 2. qu. 76. art. 3. habet: Ignorantia, quæ eſt cauſa actus, quia cauſat involuntarium de ſe habet, quod excuſet à peccato, eo quod voluntarium eſt de ratione peccati, & D. Auguſt. lib. de natura, & gratia c. 67. non tibi reputatur ad culpam: quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras:* quod etiam probatur ratione, quia aliter ſequeretur, quod qui invincibiliter putat hìc, & nunc ſibi mentiendum ad ſalvandam vitam innocentis, neceſſariò peccaret; etiàm tam mentiendo, quàm non mentiendo peccaret; mentiendo quidem, quia mendacium iure naturæ eſt illicitum; non mentiendo verò, quia operaretur contra conſcientiam dictantem ſibi mentiendum, præterea ſequeretur, quod omnes D. D. qui ex ignorantia invincibili aliquid contra ius naturæ docuerunt, peccaſſent formaliter; ſimiliter

IMAGO.

343. QUæritur. An nefas ſit Chriſtiano collocare in templo ſimulacrum Dei Patris ſedentis?

Reſp. Propoſitio affirmativa revocans errorem, & hæreſim Iconomachorum, eſt ſacrarum Imaginum inimica, idcirco tanquam hæretica damnatur ab Alexandro VIII. cum propoſ. 26. ratio eſt, quia Deus frequenter ſub figura corporea apparuit, ſic *Geneſ.* 3. *viſus eſt deambulans ad auram*, & *Exod.* 33. *loquens cum Moyſe*; ſimiliter Pater æternus in figura ſenis ſedentis apparuit, *Dan.* 7. *ubi dicitur*: *aſpiciebam, donec Throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit*: ergo ſimulacrum Dei Patris ſedentis exprimens hanc Dei apparitionem non eſt indignum Deo, atque adeò poteſt in templo chriſtiano collocari ad Deum in illa figura colendum, quia ejus æternitas, Majeſtas, & immutabilitas adumbrantur: Neque obſtat, quod Deus utpote incorporeus ſimulacro corporeo non exprimatur ad vivum, nam conſtat, ex Dei imperio *Exod.* 25. Angelos ſculpta ſimilitudine expreſſos fuiſſe, ergo ex hoc præcisè, quod Deus ſit incorporeus, non ſequitur, non poſſe Dei imaginem depingi, quæ ſolùm ſerviat ad excitandam fidem, & devotionem.

344. Ex quibus colligitur 1. Poſſe etiam in chriſtiano templo ſpiritum Sanctum ſub columbæ ſpecie adumbrari, nam *Matth.* 3. *Spiritus Sanctus apparuit ſub Columbæ ſpecie*; dicitur enim: *Ecce aperti ſunt ei Cæli, & vidi ſpiritum Dei deſcendentem ſicut Colum-*

bam, *& venientem ſuper ſe*, & huiuſmodi imago eſt ab Eccleſia approbata.

344. Colligitur 2. Poſſe ſimiliter Trinitatis imaginem juxtà morem in Eccleſia receptum etiam in templis collocari, quandoquidem etiam Trinitas, ut notat *D. Auguſt. lib. 2. de Trinitate cap.* 11. ſub ſpecie viſibili ſe dedit conſpiciendam Abramo *Geneſ.* 18. *quando tres vidit*, *& unum adoravit*; Cum autem jam uſus invaluerit, & ubique in Eccleſiis, etiam Romæ, imago Dei Patris ſedentis, & Spiritus Sancti ſub ſpecie Columbæ, necnon imago Trinitatis ſub figura ſenis, Chriſti Domini, & Columbæ exprimatur, non niſi temerè damnantur; multæ enim inde utilitates proveniunt, & debitus Cultus Deo, & Trinitati in iis exhibetur per adorationem relativam, qua ille honor, & Cultus non ſiſtunt in imaginibus, ſed referuntur ad exemplaria, quæ repreſentant.

346. Colligitur 3. Imagines, ac ſimulacra eodem cultu adorari, ac prototypum, & cum prototypo ſimul coadorari, ita ut adoratio abſolutè, & ratione ſui feratur ad prototypum, & ſolùm reſpectivè ad imaginem; propterea imago Sanctorum adoratur adoratione Duliæ propria ſervorum Dei; imago B. M. V. adoratione Hyperduliæ, quia Sanctiſſima Virgo ſervis Dei longiſſimè præſtat; imago Chriſti adoratione latriæ debita Divinitati, cum in Chriſto idem ſit utriuſque naturæ divinæ, & humanæ ſuppoſitum, ad quod indiviſibiliter dirigitur adoratio; Crux etiam adoratione latriæ adoratur, quia Crucifixum exprimit, tanquam ſignum divini ſui erga homines amoris, ac

trium-

triumphi de peccato, ac morte reportati.

347. Colligitur ultimo, quòd dictum eſt de imaginibus, & ſimulacris, dicendum pariter eſſe de ſacris Reliquiis, quæ pariter venerandæ ſunt cultu conſono Perſonæ, quam repræſentant, ut conſtat ex *Trident. Seſſ. 23. cap. 3.*

INDULGENTIA.

348. Quæritur. An indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſint revalidatæ?

Reſp. Opinionem affirmativam eſſe expreſsè ab Alexandro VII. damnatam cum propoſ. 37. & ab Innocentio XI. in decreto de apocryphis indulgentiis declarante indulgentias conceſſas *ante Breve Pauli V. incip. Romanus Pontifex &c. editum die* 23. *Maii* 1606. perſonis Regularibus quarumcumque Religionum, & ordinum, etiam Mendicantium, niſi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris, & momenti; hinc conſtat, per generalem confirmationem privilegiorum, indultorum, & gratiarum ſine ſpeciali mentione, & expreſſione indulgentiarum; non innovari, nec confirmari indulgentias revocatas, ratio eſt, quia juxta *reg.* 81. *Jur. in 6. in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

349. Notandum tamen, in revocatione indulgentiarum facta à Paulo V. non eſſe revocatas pro Regularibus 5. indulgentias olim conceſſas omnibus Chriſtifidelibus, qualis eſt v. gr. indulgentia plenaria ab

Adriano VI. conceſſa recitantibus, Angelus Domini, ad pulſum campanæ poſt ſolis occaſum, cum non debeant Regulares in hoc eſſe deterioris conditionis, quàm alii.

350. Neque 2. indulgentias conceſsas confraternitatibus Roſarii, Carmelitarum, Cordigerorum, Centuratorum, & ſimilium.

351. Neque 3. Indulgentias Regularibus conceſſas pro Animabus Purgatorii, prout Pontifex declaravit, ſicut etiam anno Jubilæi non ſuſpenduntur indulgentiæ pro Defunctis.

352. Neque 4. Indulgentiam à Clement. VIII. conceſſam parentibus Regularium in Purgatorio exiſtentibus, ſi pro illis Regularis celebret, cum hæc non ſit conceſſa Regularibus, ſed eorum parentibus.

353. Neque 5. Indulgentias conceſſas olim pro ſæcularibus Eccleſias Regularium viſitantibus, eas enim lucrari etiam poſſunt Regulares, utpotè omnibus Chriſtifidelibus, non ſolis Regularibus conceſſas; præſertim quia indulgentiæ iſtæ locales potius ſunt, quàm perſonales, indulgentiæ autem locales, etiamſi pro ſolis Regularibus conceſſæ, non cenſentur revocatæ *ex declaratione S. Congreg. anno 1615. apud lantuſcam in Theatro Regularium*, idcirco non cenſetur revocata indulgentia illa, ſeu indulgentiarum cumulus, quem conceſſit Leo X. Fratribus S. Franciſci, videlicet, quod ſi in propriis Eccleſiis recitent ſex Pater, Ave, & Gloria Patri lucrentur omnes indulgentias conceſſas Eccleſiis Romanis, Hieruſalem, Compoſtellæ, & Portiunculæ, quia hujuſmodi indulgentiæ non ſunt perſonales, ſed locales.

354.

354. Quæritur. Quot, & quænam ſint indulgentiæ de novo conceſſæ Regularibus à Paulo V. quando antiquas in dicto decreto revocavit?

Reſp. Eſſe ſequentes, videlicet: indulgentiam plenariam pro die ingreſſus in Religionem; necnon pro die, quo emittitur profeſſio Religioſa; in articulo mortis, invocato Jeſu nomine ore, vel corde; in feſto principali proprii ordinis; eo die, quo quis primam Miſſam celebrat, quàm indulgentiam etiam alii Religioſi lucrantur, ſi eidem Miſsæ interſint, aut eo die celebrent, vel communicent; iis etiam, qui per decem dies exercitiis ſpiritualibus vacant; viſitantibus verò propriam Eccleſiam conceſſit inpulgentias Eccleſiarum Urbis, & ſtationum, aliaſque hujuſmodi.

INFIDELIS.

355. QUæritur. An ab infidelitate excuſetur Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili?

Reſp. Opinio affirmans eſt falſa, & expreſsè damnata ab Innoc. XI. cum prop. 4. ratio eſt, quia nunquam licet ſequi opinionem minus probabilem, quando datur lex, conſuetudo, aut conventio de ſequenda probabiliore, vel quando periculum gravis damni ad id obliget, eo quod non pendeat ab opinionis probabilitate illud vitare, in caſu enim noſtro non pendet ab opinionis probabilitate, quod ſecta ſit vera, idcirco ad vitandum periculum ſequendi ſectam falſam, illicitum eſt duci ab opi-

nione minus probabili; adde, infidelem non poſſe habere veram probabilitatem de ſua ſecta inculpabiliter: ſi enim obſervet naturæ leges, & oret ad aſſequendam veritatem (uti tenetur) quando duplex ſecta oppoſita videtur probabilis, Deus volens omnes homines ſalvos fieri, non deerit ſua illuſtratione, qua oſtendatur vera Religio Catholica, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt.

356. Quæritur. An poſſit aliquando fidelis inter Lutheranos degens, audiendo eorum errores, credere, quòd probabilior ſit hæreſis lutherana, quàm fides Catholica?

Reſp. Quod fidelis in iis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii, ut eſt fides in Deum Remuneratorem, & fides de Trinitate, & Incarnatione, poſſit invincibiliter errare, cum Deus non deſit in neceſſariis; immo ne ipſis quidem infidelibus permittit Deus horum myſteriorum ignorantiam invincibilem, & inculpabilem, ut conſtat, tum ex illo axiomate; facienti quòd in ſe eſt, Deus non denegat gratiam ſuam, tum ex propoſ. 5, inter damnatas ab Alexandro VIII. quæ dicit: *Paganos, Judeos, Hæreticos nullum accipere à Jeſu Chriſto influxum, & carere gratia ſufficienti*. Poſſunt tamen etiam fideles aliquando errare invincibiliter in iis articulis, quorum fides eſt ſolùm neceſſaria neceſſitate præcepti, puta, in numero Sacramentorum &c. & in his caſibus fidelis non peccat.

JIII.

IUDEX.

357. Quæritur. An ſit Probabile, quod Iudex poſſit judicare juxta opinionem etiam minus probabilem?

Reſp. Eſſe falſum, & expreſſe damnatum ab Innoc. XI. cum propoſ. 2. ratio eſt, quia tum jure poſitivo canonico, & civili, tum jure naturali tenetur Iudex in ferenda ſententia ſequi opinionem probabiliorem, ergo non poteſt juxta minus probabilem judicare; tenetur quidem jure poſitivo canonico, & Civili, quia in *reg. 45. Juris in 6. & leg. in obſcuris ff. de regulis juris dicitur: inſpicimus in obſcuris quod eſt veroſimilius*; tenetur pariter jure naturali, quia ſicut Medicus, etiamſi ex Charitate, & ſine ſalario ſuam operam ægroto exhibet, tenetur ex contractu implicito adhibere pharmacum probabilius curativum, omiſſo minus Probabili, quando æque poteſt utrumque applicari, ita Iudex ex contractu implicito cum Republica tenetur ferre ſententiam juxta merita Cauſæ, adjudicando rem illi, cui magis jus favet, aliter malè conſuleretur bono publico, ſi ſententia ferenda eſſet ex favore, & ob amicitiam cum Iudice, unde ferè ſemper pauperes opprimerentur.

358. Ex dictis ſequitur 1. Iudicem, qui juxta minus probabilem opinionem judicat, non ſolùm peccare, ſed etiam ad reſtitutionem teneri, ratio eſt, quia peccat contra juſtitiam commutativam, tollendo ab altero ex collitigantibus id, quòd ipſi debetur,

betur; & quod habet jus ſtrictum proprietatis, ne ſcilicet adjudicetur res collitiganti; cui minus aſſiſtunt favoros legum.

359. Sequitur 2. Quod ſi cognoſcat, probationes eſſe æquales, & jus utrique parti æqualiter favere, non debet pro ſuo ſpeciali favore rem litigioſam parti cui voluerit adjudicare, quia non eſt dominus rei, ſed dividenda erit in æquales partes, ſi fuerit diviſibilis, vel retinens totam rem debet alteri compenſationem reddere ſecundum æſtimationem dimidii; æquale eſt enim jus ambarum partium.

360. Sebuitur 3. Quod dictum eſt de Judicibus à Republica conſtitutis, dicendùm etiam de Judicibus ex partium conventione deſtinatis, ſeu de Arbitris, necnon de omnibus his, qui litigantium diſſenſiones in rebus decidunt; omnes iſti contra juſtitiam commutativam peccant, & ad reſtitutionem tenentur, ſi opinioni minus probabili ſe accommodant.

361. Quæritur. An Judex poſſit accommodare ſe opinioni collegæ, & contra propriam opinionem ſecundùm illam ferre ſententiam?

Reſp. Quod ſi collega ſit doctior, ita ut ob ejus extrinſecam auctoritatem ſententia poſſit prudenter æſtimari probabilior, poterit Judex ſuam opinionem deponere, & illi ſe accommodare; ſecus non poteſt, quia Reſpublica vult, ut quilibet juxta proprium ſenſum judicet quod ſibi videtur veroſimilius.

362. Quæritur. An Advocato, & Procuratori illicitum ſit tueri opinionem minus probabilem ſui Clientis?

Reſp.

Reſp. Quod Advocati, & Procuratores tenentur admonere clientem de minori probabilitate ſuæ cauſæ, atque de proximo periculo amittendi etiam expenſas; quod ſi non moneant, peccant graviter, & tenentur reſtituere parti læſæ: Nihilominus licitum eſt promovere rationes clientis, etiam ſi Patrono appareat probabiliorem, eſſe opinionem, quæ favet parti contrariæ, ratio eſt, tum quia poſſunt progræſſu temporis novæ rationes apparere Advocato, vel Procuratori, ita ut Clienti lis adjudicanda ſit, tum etiam quia poterit Judici apparere probabilior opinio, quæ Advocato, vel Procuratori apparet minus probabilis; nec ipſi patrocinando cauſæ, cogunt ullatenus Judicem, aut illi ſuadent, ut ſuam opinionem ſequatur.

363. Quæritur. An quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poſſit Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio?

Reſp. Conſtat ex decreto Alexand. VII. damnantis propoſ. 26. id eſſe illicitum ratio eſt, quia Judex tenetur ex juſtitia integram litem adjudicare, ſed Judex, qui aliquid accipit ab eo, quem alteri præfert, non dat totum, quod debet ex juſtitia dare, ergo peccat contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur: quod autem ſpectat ad munera, quæ dari ſolent Judici ad alliciendum animum &c. *vid. Beneficium quæſt.* 58.

364. Quæritur. An quidquam dari poſſit, promitti, vel paciſci pro juſtitia, vel gratia ſive Eccleſiaſtica, ſive temporali obtinenda apud ſedem Apoſtolicam, & Romanam Curiam?

Reſp.

betur.; & quod habet jus ſtrictum proprietatis,, ne ſcilicet adjudicetur res collitiganti;, cui minus aſſiſtunt favoros legum.

359. Sequitur 2. Quod ſi cognoſcat, probationes eſſe æquales,, & jus utrique parti æqualiter favere,, non debet pro ſuo ſpeciali favore rem litigioſam parti cui voluerit adjudicare, quia non eſt dominus rei, ſed dividenda erit in æquales partes, ſi fuerit diviſibilis, vel retinens totam rem debet alteri compenſationem reddere ſecundum æſtimationem dimidii;, æquale eſt enim jus ambarum partium.

360. Sebuitur 3. Quod dictum eſt de Judicibus à Republica conſtitutis, dicendum etiam de Judicibus ex partium conventione deſtinatis,, ſeu de Arbitris, necnon de omnibus his, qui litigantium diſſenſiones in rebus decidunt;, omnes iſti contra juſtitiam commutativam peccant, & ad reſtitutionem tenentur, ſi opinioni minus probabili ſe accommodant.

361. Quæritur: An Judex poſſit accommodare ſe opinioni collegæ, & contra propriam opinionem ſecundum illam ferre ſententiam?

Reſp. Quod ſi collega ſit doctior, ita ut ob ejus extrinſecam auctoritatem ſententia poſſit prudenter æſtimari probabilior, poterit Judex ſuam opinionem deponere, & illi ſe accommodare;, ſecus non poteſt, quia Reſpublica vult, ut quilibet juxta proprium ſenſum judicet quod ſibi videtur veroſimilius.

362. Quæritur: An Advocato, & Procuratori illicitum ſit tueri opinionem minus probabilem ſui Clientis?

Reſp.

Reſp. Quod Advocati, & Procuratores tenentur admonere clientem de minori probabilitate ſuæ cauſæ, atque de proximo periculo amittendi etiam expenſas; quod ſi non moneant, peccant graviter, & tenentur reſtituere parti læſæ: Nihilominus licitum eſt promovere rationes clientis, etiam ſi Patrono appareat probabiliorem eſſe opinionem, quæ favet parti contrariæ, ratio eſt, tum quia poſſunt progræſſu temporis novæ rationes apparere Advocato, vel Procuratori, ita ut Clienti lis adjudicanda ſit, tum etiam quia poterit Judici apparere probabilior opinio, quæ Advocato, vel Procuratori apparet minus probabilis; nec ipſi patrocinando cauſæ, cogunt ullatenus Judicem, aut illi ſuadent, ut ſuam opinionem ſequatur.

363. Quæritur. An quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poſſit Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio?

Reſp. Conſtat ex decreto Alexand. VII. damnantis propoſ. 26. id eſſe illicitum ratio eſt, quia Judex tenetur ex juſtitia integram litem adjudicare, ſed Judex, qui aliquid accipit ab eo, quem alteri præfert, non dat totum, quòd debet ex juſtitia dare, ergo peccat contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur: quod autem ſpectat ad munera, quæ dari ſolent Judici ad alliciendum animum &c. *vid. Beneficium quæſt.* 58.

364. Quæritur. An quidquam dari poſſit, promitti, vel paciſci pro juſtitia, vel gratia ſive Eccleſiaſtica, ſive temporali obtinenda apud ſedem Apoſtolicam, & Romanam Curiam?

Reſp.

Reſp. Negativè, prout expreſsè legitur prohibitum ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ à Bonifacio VIII. Gregor. XIII. Alexandr. VII. & Innoc. XII. *conſtit. incip. Sacerdotalem*, *& Regiam Urbem 3. kal. Febr. 1699.* in qua confirmantur, & innovantur præfatorum Pontificum conſtitutiones, & pœnæ in eis contentæ (optimum eſſet conſtitutionem legere, videatur Bonacina *Tom. 3 diſput. 2. quæſt. 3. punct. 31. pag. 231.*) dictiſque pœnis ſubmittuntur omnes ſive Clerici, Religioſi, Laici, ſive Iudices, advocati, Procuratores, Expeditores, Agentes, & Negotiorum geſtores, auxilium quoque, ac conſilium, vel favorem dantes; xenia verò ſolita, hoc eſt, munera, eſculenta, & poculenta, quæ hoſpitibus dari ſolent, & quæ intra proximos dies edi, & potari poſſunt, ac merces labori conveniens non prohibentur; ſed vitentur fraudes.

365. Item recipientes officium, etiam ſeculare, ut gubernium Caſtri, Arcis &c. modo interdicto eiſdem pœnis ſubiiciuntur, neque illud exercere, neque ſtipendia recipere, vel recepta retinere poſſunt; ad incurrendam tamen illam cenſuram Sedi Apoſtolicæ reſervatam non requiritur, quòd gratia, vel juſtitia realiter, & cum effectu obtineatur, requiritur tamen, ut quis delinquat cum ſcientia prohibitionis, & pœnæ.

JURAMENTUM.

366. QUæritur. An vocare Deum in teſtem mendacii levis, ſit tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia licèt mendacium ſive jocoſum, ſive officioſum, ſive pernicioſum deſumat ſuam gravitatem, aut levitatem à damno gravi, aut levi, quod alteri, aut commercio humano irrogat, ut proinde, ſi damnum leve irroget, culpam venialem non excedat; malitia tamen perjurii ſuam gravitatem deſumit ex eo, quod Deus prima veritas adducatur in teſtem falſi. ad quod parum refert, quòd falſitas illa ſit gravis, aut levis, pernicioſa, vel tantùm jocoſa; graviſſima autem irreverentia Deo irrogatur, quod adducatur in teſtem falſi, idcirco nunquam periurium aſſertorium poterit à mortali excuſari; ut manifeſtè conſtat ex propoſ. 24. inter damnatas ab Inn. XI. immò gravius eſt peccatum periurii etiam in materia leviſſima, quàm ipſum homicidium, & quodcumque aliud peccatum contra proximum, illud quippè immediate Deum lædit, & parvitatem materiæ omninò excludit.

367. Quæritur. An ſit licitum cum cauſa iurare ſine animo iurandi?

Reſp. Negativè iuxta decretum Innoc. XI. damnantis propoſ. 24. ratio eſt quia iurans ſine animo iurandi, ſive iuret verum, ſive peieret, ſive in re gravi, ſive in levi, ſive videatur habere cauſam, ſive non, nunquam excuſari poteſt ut minimum

à men-

à mendacio, mentitur enim, qui dicit; juro, nolens iurare, non ſecus ac, qui dicit, promitto, dono, carens animo promittendi, donandi &c. ſed mendacium nunquam eſt licitum, quantacumque detur cauſa, quia eſt intrinceſcè malum, ergo nunquam licet jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis, ſemper eſt peccatum mortale, ut numero ſequenti.

368. Quæritur. An qui jurat falſum ſine animo jurandi, etiam in materia levi, peccet mortaliter?

Reſp. Affirmativè citra controverſiam, ratio eſt, quia invocatione externa adducitur Dei nomen ad falſum confirmandum, quòd ſine gravi irreverentia, & magno abuſu divini nominis contingere non poteſt, etiam ſi ſit in materia levi, nam ſicut in idolatria, in blaſphemia, in infidelitate &c. non datur parvitas materiæ, quæ à mortali excuſet, licèt deſit animus internus litandi idolo, blaſphemandi, non credendi &c. ita nec in perjurio, licèt deſit animus internus jurandi.

369. Quæritur. An graviter etiam ſemper peccet qui jurat ſine animo jurandi, dum verum jurat?

Reſp. Peccare duntaxat venialiter, dummodo juramentum non fiat in contractu, aut in judicio legitimo, ratio eſt, quia huiuſmodi mendacium (quod proculdubio profert, qui dicit ſe iurare, non habens animum iurandi) neque Deo, neque homini eſt iniurioſum; cum invocetur exterius ad confirmandum duntaxat verum, & quamvis aliqua irreverentia ſit illum invocare ſine animo invocandi, atque adeò in va-

num,

num, ea tamen non eſt gravis irreverentia; neque eſt iniurioſum homini, quia ſupponimus hoc fieri extra contractum, & extra judicium legitimum, ac extra quecumque caſum, in quo homo damnum aliquod patiatur ex hoc ficto juramento.

370. Quæritur. An qui ex conſuetudine iurat, dicendo v. g. Per Chriſtum, Per Deum Sacratum, Per Virginem Mariam, Per S. Antonium &c. nihil affirmando, vel negando, peccet mortaliter?

Reſp. Peccat venialiter, niſi ex conſcientia erronea credat ſe peccare mortaliter, & niſi ob illam conſuetudinem exponat ſe periculo peierandi, vel aliis ſcandalum præbendi, quia in iis Caſibus proculdubio peccabit mortaliter, quoties ſimiles formulas iuratorias protulerit, à quibus deinceps uſurpandis ſe diligenter continere tenebitur.

371. Quæritur. An ſicut ſemper eſt illicitum in iuramento aſſertorio iurare ſine animo iurandi, ita ſemper ſit illicitum in promiſſorio?

Reſp. Affirmativè, quia ſcilicet nunquam deeſt ſaltem mendacium irreligioſum, unde ſit nullam cauſam, quantumvis gravem, poſſe efficere, quod id liceat, etiamſi iuramentum coactè, & per iniuriam exigatur, adde quod in promiſſorio, iurare ſine animo ſe obligandi eſt etiam illicitum ex vi talis iuramenti, cum reverentia debita Numini invocato exigat natura ſua, quod iurans obligetur ad reddendum factis verum id, quod promittitur, adducendo Deum in Promotorem, & ſponſorem talis veritatis. Hinc etiam eſt illicitum iurare ſine ani-

mo,

mo implendi, quod ſub iuramento promittitur, quamvis gravius peccat, qui iurat ſine animo ſe obligandi, quàm qui iurat animo non implendi, quia videtur gravior irreverentia velle Deum adducere in teſtem, & nolle eius teſtimonio aſtringi, quam nolle ponere, quod iuratur; datur tamen parvitas materiæ in iuramento promiſſorio quoad executionem rei promiſſæ, ſed non quo ad periurium; ut numero 368.

372. Quæritur. An contra virtutem Religionis peccet qui ad confirmandum mendacium addit verba, quæ iuratoria non ſunt, nec ut iuratoria ab audientibus accipiuntur, iuramenti tamen ſpeciem præſeferunt, huiuſmodi ſunt iſta: in veritate, in mea conſcientia, per fidem mei, per fidem Sacerdotis, non intelligendo fidem catholicam &c.

Reſp. In his caſibus, præter mendacium, nullam aliam culpam reperiri contra virtutem Religionis, cum Deus non invocetur, nec ſignificetur invocari ad falſum teſtandum; quod ſi ab audientibus ex ignorantia apprehendantur formulæ iſtæ, ut iuratoriæ, tunc ad vitandum ſcandalum hoc paſſivum non ſunt uſurpandæ citra ſufficientem neceſſitatem, aut utilitatem propriam, vel alienam ad veritatem confirmandam; quando tamen de aliquibus formulis dubitatur, num accipiantur communiter ut iuratoriæ, tunc ſtat in poſſeſſione libertas, atque adeo uſurpari poſſunt tanquam non iuratoriæ, cavendo pariter aliorum ſcandalum.

373. Quæritur. An mortaliter peccent Nobiles, & Aulici, qui dum ſimul ambulaturi procedunt, iurant, ſe non ituros ad dexteram, non ſeſſuros primo loco, dicendo:

per

per Deum non ibo, per Chriſtum non ſedebo; poſtea tamen invitatione victi dexteram, & primum locum accipiunt?

Reſp. Si dum iurant non habent intentionem iurandi, & ſe obligandi ad non capiendum primum locum, mortaliter peccant ex defectu veritatis iuramenti, ſi vero habent intentionem iurandi, ſed non animum ſe obligandi, pariter mortaliter peccant, ex eo quod adducant Deum in teſtem falſi, & fideiuſſorem promiſſionis non intentæ, nec obſtat, quod res ſit levis, quia ſemper deeſt veritas executionis iuramenti, & quoad hanc Deus in teſtem falſi vocatur; ſi verò habeant intentionem iurandi, ac pariter ſe obligandi; & poſtea coacti prius ſedeant, non peccant contra iuramentum, tum quia promiſſio illa de re inutili, vel indifferenti habet tacitam conditionem adiunctam (ſi me non coegeris) qua ſublata non obligat, & conſequenter nec iuramentum, tum quia relaxatur ab altero cedente iuri ſuo.

374. Quæritur. An dum parentes iurant, ſe caſtigaturos filios, poſſint poſtea eos non caſtigare?

Reſp. Affirmative, ratio eſt, quia in tali promiſſione iurata implicitè continetur hæc conditio, niſi veniam rogent, niſi ſe emendaverint &c. nec tunc peccant; modò quando iurarunt, habuerint intentionem iurandi, & caſtigandi.

375. Quæritur. An ſit mortale, & periurium iurare falſum cum reſtrictione pure mentali; ſeu cum locutione amphibologica; ſi nimirum ut quis non intendat propoſitionem, quam profert, in ſenſu, in quo ab audien-

audientibus intelligitur , ſed in alio ; ſeu ſubintelligat aliquid in mente, quòd reddat propoſitionem veram, quæ ſecundùm externam vocis ſignificationem eſt falſa: v. gr. interrogor ; an Petrus occiderit Paulum , quem ego ab eo occidere vidi, ne Petrum infamem, iuro per Deum, neſcio Petrum occidiſſe Paulum; ſubintelligendo in mente, ut tibi referam, vel aliquid aliud?

Reſp Eſſe periurium , patet ex propoſ. 26. & 27. inter damnatas ab Innoc. XI. ratio eſt; quia in eo mentior , etenim cum verba illa, neſcio Petrum occidiſſe Paulum, ſimpliciter prolata , ſignificant me abſolute id neſcire, dum mente ſenſum reſtringo , vel in alio ſenſu ſubintelligo , quem ipſa verba ſecundùm externam vocis ſignificationem non habent, vel in quo ſcio ab interrogante non intelligi, falſum dico, nam aliud ore dico, & aliud mente teneo, & illis verbis utor , ad hoc , ut audiens fallatur, & credat verum eſſe, quod verba ſonant ; ſi hoc non intenderem verba falſa non pronunciarem , verax, & non mandax eſſem, & ideò cum addo mendacio iuramentum, ſum perjurus, atque adeò mortaliter pecco.

376. Quæritur. An ſit licitum iurare cum reſtrictione reali, & externa , quæ habetur, quoties verba unum de ſe ſignificatum habent, ſed ex circumſtantiis, & adiunctis habent aliud ſignificare , ut proinde poſſint ſecundùm ſe eſſe falſa , ſed quatenus ſimul cum circumſtantiis conſignificant, poſſint eſſe vera?

Reſp. Affirmativè , ut Judex pro Tribunali dicat , Petrum eſſe innocentem , quem

quem tamen privata ſcientia ſcit eſſe reum; circumſtantiæ enim illæ ſignificant, Petrum haberi à Judice ut innocentem iuridice, ſeu ſecundùm allegata, & probata: ſic Chriſtus Dominus dicens *Jo. 7. Ego autem non aſcendam ad diem feſtum hunc*, veriſſimum dixit. quamvis aſcenderit, quia ex circumſtantiis verba illa denotabant ſe non aſcenſurum publicè ad oſtendendam miraculis ſuam Divinitatem, ut rogabatur; ad reſtrictionem iſtam non purè mentalem reducitur uſus duplicis ſcientiæ, videlicet communicabilis, & incommunicabilis, quatenus ex circumſtantiis apparet verba ſumenda eſſe, ſpectata tantùm ſcientia loquentis communicabili; ut quando Confeſſarius interrogatur, an aliquid ſciat de peccato pœnitentis? & ipſe reſpondet, nihil ſcire, ex circumſtantiis denotatur, ſe nihil ſcire, quatenus homo eſt, ſeu ſcientia extraſacramentali, & ſi rurſus à Tiranno, vel à judice interrogetur, an aliquid de tali peccato ſciat, ut Confeſſarius, & ſcientia ſacramentali licitè incommunicabili? poterit cum iuramento aſſerere, ſe nihil ſcire, quatenus homo eſt, ſeu ſcientia extraſacramentali.

377. Notandum tamen, quod ſæpè à DD. reſtrictio illa realis, & non purè mentalis confunditur cum æquivocatione, quando ſcilicet re vera verba duplicem ſenſum habent, alterum ſecundùm ſe ſpectata falſum, alterum verum ſub talibus circumſtantiis, ſub quibus apparet, ea verba ſumenda eſſe; in rigore tamen æquivocatio habetur, quando verba ſecundùm ſe habent duplicem ſenſum, ut cum dicitur,

Pe-

Petrus non eſt in triclinio, quod poteſt eſſe verum, ſi ſit in triclinio, ſed ibi non comedat, ſumendo ly non eſt, pro non comedat; reſtrictio tamen non pure mentalis, ſeu realis habetur per verba, quæ de ſe unam tantùm ſignificationem habent, ſed ratione circumſtantiarum habent aliam, ut dictum eſt, omnes tamen conveniunt, quod eodem modo ſit illicita æquivocatio, ac reſtrictio non purè mentalis, quando paſſim adhibentur, & ſine rationabili cauſa, cum ſint deſtructiva humani commercii, ſi ſenſum falſum habeant obvium, & ſenſum verum obſcurum: utraque etiam ex rationabili cauſa licet; quis enim neget, poſſe Confeſſarium, vel ſecretarium ad occultandam veritatem uti æquivocatione, vel reſtrictione non purè mentali? idemque dicendum ſi adultera interrogetur à marito, an commiſerit adulterium, & in ſimilibus caſibus, in quibus datur rationabilis cauſa permittendi alterius deceptionem, ſalva ſemper veritate loquentis, qui nunquam poterit deceptionem proximi velle per mendacium, quippe quod eſt intrinſecè malum ſicut nec poteſt æquivocare, qui juridice interrogatur, quia in tali caſu debet prævalere bonum publicum bono privato.

378. Quæritur. An juramentum reſtrictioni pure mentali ſuperadditum poſſit dici periurium?

Reſp. Affirmativè, primo, quia quamvis Deus invocetur ad teſtandum verum illud, quod in mente retinetur, invocatio tamen iſta ſit etiam ad teſtandum alteri falſitatem; quam exprimunt verba; deinde

quia

quia *ex D. Auguſt. mediante juramento nequiter decipere credentem, perjurium eſt*; tertiò, quia ex D. Hjerony. & Angelico *omne juramentum illicitum vocatur perjurium*, ergo perjurium habetur etiam in noſtro caſu, quia juramentum deſervit ad decipiendum, & ad confirmandum mendacium, quod eſt illicitum, eſto animus ſit invocandi Deum ad teſtandum verum, quod in mente retinetur.

379. Quæritur. An ad utendum æquivocatione, & reſtrictione externa, ſeu non pure mentali requiratur aliqua Cauſa?

Reſp. Requiritur, ratio eſt, quia niſi detur cauſa excuſans, non intenditur directè occultatio veritatis celandæ, nec deceptio ſolùm permittitur, quod eſt licitum, ſed ea intenditur directè, unde non declinatur mendacium conſiſtens in falſa vocis ſignificatione cum intentione fallendi, propterea ſi hujuſmodi æquivocationi illicitæ ſuperaddatur juramentum, non declinatur perjurium.

380. Quæritur. An non ſolùm verbis, ſed etiam factis, ſignis &c. ſit illicitum uti reſtrictione pure mentali?

Reſp. Affirmativè etenim non ſolùm in verbis falſis, verùm etiam in factis, ſignis, & ſimulatis operibus mendacium poteſt committi, ut docet D. Thom. 22. *queſt. 3. art. 1. in corpore*; ſicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud ſignificet, quam apud ſe habet, quod ad mendacium pertinet, ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua ſigna factorum, vel rerum aliquid ſignificet contrarium ejus, quod in eo eſt, quod pro-

prie ſimulatio dicitur, unde ſimulatio proprie eſt mendacium quoddam in ſignis exteriorum factorum conſiſtens, non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto.

381. Quæritur. An qui ad officium publicum promotus eſt, poſſit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quoties de mandato Regis, aut ex ſpeciali ſtatuto ab eo exigitur, quod non obtinuerit illud media ſubornatione, commendatione vel munere?

Reſp. Negativè, ſed peccat graviter, & eſt etiam perjurius, non ſecus, ac peccat graviter, & eſt perjurus reus juridice interrogatus de delicto, quod inquiritur ad vindictam, quando præceſſit ſemiplena probatio, ſi cum æquivocatione, & juramento negetur; æquivocatio enim, vel reſtrictio mentalis non liberat à perjurio, niſi fiat ex juſta Cauſa, hæc in caſu noſtro revera non intervenit, cum Rex, ſeu lex non intendat, quod candidatus revelet proprium crimen patratum in hoc, quod per commendationem, aut munera promotionem procuravit, ſed ſolum intendat, quod candidatus retrahat ſe ab eo officio; ne hac via Magiſtratus cum detrimento Reipublicæ conferantur indignis, ergo cum in tali caſu præceptum non ſit durum, ſed rationabile, & valde expediens ad publicum bonum; tenetur ſubditus obedire, ut proinde quamvis nulla præceſſerit infamia, aut ſemiplena probatio de delicto, debeat deinde illud detegere, ut repellatur, ſi nolit ipſe ſe retrahere; hac de re perpende propoſ. 28. inter damnatas ab Innoc. XI.

382. Quæritur. An quando ſuperior

pro-

promovendos ad ſacros ordines interrogat de naturalibus, de cenſuris, de irregularitate, & quando volentes contrahere matrimonium interrogat de impedimento, detur obligatio reſpondendi abſque equivocatione vel reſtrictione mentali?

Reſp. Dari, quamvis nulla præceſſerit infamia, aut ſemiprobatio de ullo delicto; quia ad impediendum commune damnum tenetur vel manifeſtare, vel non petere.

383. Quæritur. An ſint perjuri ſcholares illi, qui ad obtinenda matriculas ad lauream doctoralem prærequiſitas, dum mandato Regis, aut quiſitas, dum mandato Regis, aut ex ſpeciali ſtatuto interrogantur, num præmiſerint tempore debito ſtudium prærequiſitum, cum juramento affirmant, æquivocando, aut jurando ſine animo jurandi?

Reſp. Conſtat ex dictis, æquivocationem, aut reſtrictionem mentalem in caſu noſtro non licere, ac proinde juramentum; etiamſi fiat abſque animo jurandi, eſſe perjurium, pro ut explicatum fuit in reſolutionibus præcedentibus; neque dicas, quod Miniſtri ſæpe ſint conſcii harum fraudum, & conniveant, unde videtur juramentum exigi potius ex quadam antiqua formula, quàm animo impediendi ſuſceptionem matricularum iis, qui debito ſtudio non vacarunt, atque adeo poſſunt cum æquivocatione, vel reſtrictione mentali reſpondere; nam quamvis aliquando Miniſtri conniveant, non proinde fit, quod juramentum de mandato Regis, aut ex ſpeciali ſtatuto exigatur ad pompam.

384. Quæritur. An pænitens, dum à Confeſſario interrogatur de conſuetudine pecca-

ti, de occaſione proxima, de quantitate furti, aut de aliis circumſtantiis aggravantibus peccatum, quoties ea notitia deſervit ad rite exercendum munus judicis, Doctoris, ac Medici, poſſit cum æquivocatione, vel reſtrictione, mentali reſpondere?

Reſp. Negative, ratio eſt, quia Confeſſarius tanquam judex, Doctor, & Medicus in foro ſacramentali jus habet interrogandi pœnitentem, ut videat, quorum ignorantia laboret, quorum inſtructione egeat, & an aliquid deſit ex neceſſariis ad valide in cauſa pronunciandum, ac ſibi ſatisfaciat de diſpoſitione pœnitentis, imponat pœnitentias medicinales, & preſervativas, det remedia pro tollenda occaſione proxima, & conſilia præbeat, quæ conducunt ad emendationem vitæ in futurum, ergo pœnitens non poteſt æquivocare, vel cum reſtrictione reſpondere, ſed ſub gravi tenetur candide veritatem dicere, eſto non teneatur ea ſubiicere clavibus, ſi de iis non interrogetur.

385. Quæritur. An promotus ad Magiſtratum, Prælaturam, ſeu officium publicum, qui interrogatus juridicè, num mediante, commendatione, vel munere illa obtinuerit, veritatem pejerando occultavit, teneatur ſtatim Prælaturam, ſeu officium renunciare, & damna compenſare alteri, qui ſua cauſa non eſt electus?

Reſp. Quod ſi collatio Magiſtratus, vel Prælaturæ ex ſpeciali ſtatuto ſit ipſo jure irrita, quoties per commendationes, aut munera paratur aditus ad illam, ſive hic pejeraverit, ſive non, ſemper tenetur eam renunciare, cum invalide fuerit promotus, debetque pariter damna compenſare ei, qui ſuiſ-

fuiſſet eligendus, cum fuerit illi iniurius; quod ſi collatio illa non fuit invalida ipſo jure, ſed invalidanda per ſententiam Judicis poſt delictum depræhenſa, qui negavit delictum, peccavit quidem, ſed non tenetur ante ſententiam judicis renunciare, & probabile eſt, quod non teneatur damna alteri compenſare, cum nec peccaverit contra juſtitiam commutativam reſpectu eligendi, ſed contra obedientiam judicis, vel contra juſtitiam legalem reſpectu Reipublicæ, vel contra Religionem.

L A U S.

386. QUæritur. An Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana ſit?

Reſp. Tanquam hæretica damnatur expreſsè ab Alexandro VIII. cum propoſ. 26. opinio affirmans, laudem, quæ Mariæ, ut Mariæ defertur, vanam eſſe; ratio eſt, quia perpetuo Eccleſiæ uſu, & traditione conſtat, Sanctis omnibus, & à fortiori Mariæ in quantum Mariæ ratione propriæ Sanctitatis, & excellentiæ deferri, ac deberi, non ſolum laudem, honorem, & gloriam, ſed etiam adorationem, & cultum, eoſque utiliter à fidelibus invocari; ergo laus, & adoratio Mariæ, ut Mariæ delata, necnon eius invocatio non eſt vana, ſed pia, & utilis ad ejus patrocinium obtinendum, & ſalutem conſequendam; quod conſtat ex *ſcripturis*, *&* *concillis*, *&* *ex Trident. ſeſſ. 25. in decreto de invocatione Sanctorum*: Deinde nullus actus virtutis ſupernaturalis poteſt eſſe vanus, & inutilis ad ſalutem, ſed laudare, honorare, invocare, &

adorare Mariam, ut Mariam, ſicut etiam Angelos, & Sanctos eſt actus virtutis ſupernaturalis; ergo non inaniter Maria, ut Maria laudatur; immò cum D. Bernardo: Totis medullis cordium, totis præcordium affectibus, & votis omnibus Mariam, ut Mariam laudare, & venerari debemus, quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam, cuju nomen Sanctiſſimum plenum omni dulcedine, ac ſuavitatam divina, omni ore, ſimul, & corde celebrandum, & in vocandum eſt; dicamus igitur cum Eccleſia humiliter: Dignare me laudare te, Virgo ſacrata, da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

L E G A T U M.

287. Quæritur. An ſit verum, quod legatum annuum pro anima relictum non duret plus, quàm per decem annos?

Reſp. Eſſe falſum, & expreſsè damnatum aſſerere, quod legatum annuum à fideli pro ſua anima relictum duret ſolùm per decem annos, ut conſtat ex propoſ. 43. inter damnatas ab Alexand. VII. ratio eſt, quia ſi talis opinio niteretur ſolido fundamento, proculdubio ſequeretur, anima ultra decennium non detineri in Purgatorio quod eſt erroneum cum certum ſit, per 5. 20. 50. vel plures annos ibi detineri, nam juxta culparum gravitatem aliæ diuturna, aliæque diuturniſſima puniuntur pœna, ut conſtat ex pluribus revelationibus, & Eccleſiaſticis hiſtoriis, plures animas diutius in eo carcere detineri; deinde ex uſu Ecc-

cleſię celebrantis anniverſaria pro defunctis per ſæcula conſtat, incertum eſſe, an ibi animæ poſt pœnas ſæculares adæquatè ſatisfecerint divinæ juſtitiæ, eo quod judicia Dei ſint occulta, & abyſſus multa; idcirco licèt aliquando prodeſſe non poſſit teſtatori legatum annuum vel quia adæquatè ſatisfecerit, vel quia de potentia Dei abſoluta ſtatim, ante completum decennium è Purgatorio ad Cœlum evolaverit, vel quia in gehennam detruſus eſt, ſufficit, quod ignoretur, an ſuffragiis indigeat, ut legatum ſit ei debitum ex juſtitia, quod ſi non indigeat, mens teſtatoris fuit, ut legato ſatisfieret, ad hoc ut poſſint ea ſuffragia aliis animabus prodeſſe.

388. Quæritur: An annuum legatum pro anima relictum poſſit aliquando ceſſare?

Reſp. Affirmativè, ſi relictum fuit ad tempus determinatum, puta 20. vel 30. annorum, elapſo eo tempore legatum ceſſabit, vel ſi res legata periit abſque culpa legatarii, ut ſi res relicta in ſpecie conſumpta jam fuit.

389. Quæritur. An hæres, vel alii executores legatorum negligentes, aut longo tempore differentes implere pia legata à defuncto relicta pro anima ſua, peccent mortaliter?

Reſp. Affirmative, ratio eſt, quia injuſtè inferunt defuncto damnum notabile, nam pro tempore, quo executio differtur, ejus anima privatur ſuffragiis, quibus ſublevaretur à pœnis Purgatorii, ideo non debet executor ſine juſta cauſa executionem multum differre, juſta autem cauſa differendi aliquandiù poteſt eſſe, ſi ſit ſpes vendendi

res defuncti majori pretio, ut ſic majores eleemoſynæ in ſubſidium animæ adhiberi poſſint; verum id ex D. Thom. licitè fit in mora ſolùm modici temporis, in qua non videtur magnum periculum, vel detrimentum.

LEX.

390. Quæritur. An populus peccet, ſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam?

Reſp. Peccare juxta gravitatem, ſeu parvitatem materiæ, quæ à lege præcipitur, oppoſitum enim manet expreſsè damnatum ab Alexand. VII. cum propoſ. 28. ratio, eſt primò, quia in legislatore humano eſt poteſtas condendi legem, quæ obliget independenter à populi conſenſu, & acceptatione, idque non ſolùm verum eſt de legislatore Eccleſiaſtico, qui non à populo, ſed à Chriſto Domino poteſtatem legislativam accepit, ſed etiam de Principe ſæculari; deinde quia in legislatore adeſt de facto voluntas obligandi legibus ſuis independenter ab acceptatione populi, quamvis ſi res ſit ardua, & à majori parte populi lex non obſervetur, cenſeatur ſolùm legislator velle legem abrogare, ut proinde ſolùm poſt abrogationem citra culpam lex non obſervetur, in principio tamen non vacet culpa ejus tranſgreſſio, etiam ſi res præcepta fuiſſet ardua, & à fortiori ſi abſque ulla cauſa lex non obſervetur, & acceptatur; niſi fuerit iniuſta, & invalida.

291. Quæritur. An quando dubitatur, utrum lex ſit uſu recepta præſumi poſſit, quod

non

non acceptata, atque adeò quod citra culpam poſſit violari?

Reſp. Negativè, quia in hoc dubio non ſtat in poſſeſſione libertas, ſed lex, quippe quæ antecedenter ad acceptionem eſt obligatoria, & ad ſummum probabile eſt, quod ſtet in poſſeſſione libertas, quando materia præcepta eſt ardua, quia tunc probabile eſt, quod feratur ſub ea conditione, quod populus illam acceptet, idcirco ante acceptationem non eſt obligatoria, neque obligatoria eſt lex à populo juſta de cauſa non acceptata, vel non promulgata.

392. Quæritur. An lex Pontificia debeat in ſingulis Provinciis, & Diœceſibus publicari, ut poſſit habere vim obligandi pro toto orbe?

Reſp. Negativè, ſed ſufficit, quod Romæ promulgetur, ſicut de facto Bulla Cœnæ Domini nonniſi Romæ publicatur, & tamen ubique obligat; Decreta quoque S. Congreg. habent vim legis, quando juſſu Pontificis emanant, & ubique obligant, poſtquam publicata ſunt.

393. Quæritur. Quomodo cognoſcendum, quando lex obliget ſub mortali, vel veniali?

Reſp. Dignoſcitur, quando lex verbis præceptivis v. g. præcipimus, mandamus, interdicimus, jubemus, teneantur, vel his æquivalentibus, exprimitur in materia gravi, quæ vel ſit gravis in ſe, vel ratione finis, & in ſuo effectu, quatenus conducit ad bonum communitatis, pacem, & diſciplinam conſervandam.

394. Quæritur. Quid dicendum ſit de lege pænali?

Reſp. Lex pœnalis duplex eſt, alia purè pœnalis, & alia mixta, illa eſt, dum legislator non intendit ad culpam Theologicam, ſeu offenſam Dei obligare, ſed tantùm ad pænam, ut quando v. g. abſque verbis præceptivis ſtatuit, ne hoc, vel illud fiat; altera verò eſt, dum legislator intendit ad culpam obligare, ut ſi dicat: mandamus, interdicimus ſub tali pæna, ne hoc, vel illud fiat, quæ ut plurimùm accidit in delictis, quæ juri divino, aut naturali adverſantur, in qua proinde duplex eſt obligatio, una ad culpam, alia ad pænam; hinc reſolvitur; legem purè pænalem ad culpam Theologicam non obligare, niſi aliud legislator exprimat, vel niſi accedat legiſlatoris contemptus, aliorum ſcandalum, aut perturbatio Reipublicæ, vel detrimentum; legem verò pænalem mixtam juxta materiæ gravitatem obligare ſub culpa, ſub qua etiam obligaret, licèt nulla pæna apponeretur temporalis, quæ quidem adjicitur ad ejus obligationem confirmandam.

LIBRI PROHIBITI.

395. Quæritur. An libri prohibiti donec expurgentur, poſſint retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur?

Reſp. Quod libri Hæreticorum hæreſim continentes, vel de Religione tractantes in Bulla cœnæ prohibentur abſolutè ſub excommunicatione Papæ reſervata; contra verò alii libri paſſim prohiberi ſolent ſub hac clauſula: donec corrigantur, cum hoc tamen diſcrimine, quòd libri Hæreſiarcarum, qui

qui de Religione non tractant, nec continent hæreſim, necnon libri catholicorum, qui ob ſuſpicionem hæreſis, vel falſi dogmatis damnantur, ſolùm prohibentur ſub excommunicatione lata non reſervata, ut habetur in *regula Indicis* 10. libri verò alio titulo prohibiti, puta ob obſcœnitates, ad vitandas offenſiones, & ſcandala &c. quibus non eſt annexa cenſura, ſolum ſub mortali interdicuntur, ut habetur in dicta *Regula* 10. de his itaque libris, qui prohibentur, donec corrigantur, docuerunt nonnulli retineri poſſe, donec oportunè correctio ſequeretur, ſi videlicet nullum eſſet periculum ſubverſionis, nec ſcandalum, aut aliud malum ſubſequeretur; quorum ſententia expreſsè eſt damnata ab Alexand. VII. cum propoſ. 45. ratio eſt, quia talis retentio abſolute prohibetur à Sum. Pontifice ſub mortali, ut conſtat ex dicta Regula 10. ne quis habeat apud ſe libros quovis titulo interdictos, ergo niſi excuſet à mortali parvitas temporis, v. g. ſi poſt unum, aut alterum diem Inquiſitoribus deferantur, retineri nullatenus poſſunt prætextu expurgationis faciendæ, nec à neſcientibus legere, vel non intelligentibus ea, quæ leguntur, neque etiam ceſſante periculo perverſionis propriæ, vel alienæ; tum quia vertibilitas voluntatis mutari facilè poteſt; tum etiam quia finis adæquatus prohibitionis non eſt ſolùm illud periculum, ſed etiam pæna auctoris, quæ ſimul abſterreat, & ſimul coerceat alios à ſimilibus libris edendis, cum videant eos omninò flammis addicendos; eſt etiam finis prohibitionis, ut partes conformentur toti,

& ne tales libri conſerventur, ſed de-ſtruantur.

396. QUæritur. An viris doctis, qui ſine periculo libros prohibitos legere poſſunt, licita ſit eorum retentio, ac lectio ad errores confutandos?

Reſp. Negativè, niſi accedat facultas à Sacra Congreg. ratio eſt, quia quamvis in hoc caſu ceſſet in iis periculum perverſionis, at non ceſſat pro tota communitate tale periculum, quòd ſolet ut plurimum intervenire, & eſt unus ex finibus talis prohibitionis: verumquidem eſt, quòd ſi ceſſet aliquando finis legis contrariè, ita ſcilicet, ut obſervantia legis hìc, & nunc cedat potius in damnum, quàm in bonum commune, tunc lex non obliget, & licèt non inferat damnum bono communi, impediat tamen bonum commune tunc datur locus epichejæ, ut ſi quis indigeat lectione librorum prohibitorum ad confutandum errorem aliquem, nec poſſit facilè facultas obtineri, aut expectari.

397. Quæritur. An peccet qui libros prohibitos non typis impreſſos, ſed manuſcriptos retinet, ac legit?

Reſp. Affirmativè, tum quia aliter facilè eluderetur lex de libris hæreticorum non legendis, ſi illi tranſcriberentur, tum etiam quia liber manuſcriptus in communi acceptione eſt verè liber, & de materiali ſe habet, quod ſit impreſſus, aut manu exaratus.

398. Quæritur. Quinam libri dicantur tractare de Religione, vel hæreſim contineres?

Reſp. Hæreſim continent, qui aliquid docent

cent contra aliquem articulum fidei ; v. g. ſeptem non eſse Sacramenta ; ſub ſpeciebus panis, & vini non eſse corpus, & ſanguinem Chriſti &c. de Religione tractant, qui de his agunt, quæ ad fidei expoſitionem ſpectant, in quibus divina ſcriptura, aut aliqua pars illius explicatur, aut qui tractant de Theologia ſcholaſtica, vel Morali, de cultu Dei, & ſanctis debito, de ſacris ritibus, de Clericis, Monachis, & Prælatis de viſibili, & inviſibili Eccleſia; hęc omnia ad Religionem Catholicam ſpectant.

399. Quæritur. Qua pæna ligetur, qui legit, vel retinet hæreticorum libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes?

Reſp. Ligatur excommunicatione in Bulla Cœnæ Papæ reſervata ; quatuor tamen conditiones requiruntur ad eam incurrendam 1. ut libri ſint hæreticorum, 2. ut hæreſim contineant, vel de Religione tractent 3. ut ſcienter legantur, retineantur, vel imprimantur, hoc eſt cum noticia, quòd ſint tales 4. ut fiat ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, vel à deputatis ab ipſa.

400. Quæritur. An requiratur, quòd Auctor ſit damnatus?

Reſp. Negativè, ſed ſat eſt, ut ſit hæreticus, ſive damnatus, ſive non, nam de hæretico non damnato, nec notorio, vere dicitur, quod ſit hæreticus.

401. Quæritur. An Confeſsarius ordinarius abſolvere poſſit legentes, vel retinentes libros hæreticorum hæreſim continentes, vel de Religione tractantes?

Reſp. Non poſse ratio eſt, quia excommunicatione Bullæ Cœnæ ligantur, à qua ſolus Summus Pontifex, vel alius de ipſius aucto-

auctoritate abſolvere poſſunt; debet tamen iniungere, ut libros Inquiſitoribus deferant, quia nunquam abſolvi debent; niſi realiter, & cum effectu eis, & in eorum defectum, ordinario, libros conſignaverint; item debet interrogare pœnitentes, An ſciant aliquos legere, vel retinere, etiam in aliènis domibus dictos libros, & dum affirmant, eis ante abſolutionem præcipiat, ut Inquiſitoribus eos intra menſem denuncient, eo modo, quo dictum fuit *reſolut.* 195. deinde inquirat à quanto tempore apud ſe libros habeant, quoties legerint, & an aliquibus commodaverint, poſtea aperiat gravitatem delicti, quod peccaverint mortaliter contra obedientiam Eccleſiæ debitam, & contra fidem propter periculum, cui ſe expoſuerunt illam perdendi; ipſos excitet ad eliciendos actus fidei divinæ, &c. & tunc, ſi habeat facultatem, abſolvat.

402. Quæritur. Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum legente, vel retinente libros in indice prohibitos continentes res laſcivas, ſuperſtitiones &c.?

Reſp. Debet interrogare, an tales libri fuerint auctoris hæretici hæreſim continentes, vel de Religione tractantes; vel an quando legerit, habuerit errorem in intellectu, credendo non eſſe in Eccleſia auctoritatem prohibendi, & damnandi libros, nec poſſe eos damnare, nam tunc erit formaliter hæreticus, & innodatus excommunicatione in Bulla cœnæ; ſi ſine errore legerit, interroget ut ſupra, an ſcilicet ſciat aliquos legere, retinere &c. & an occaſione eorum carnaliter peccaverit, quoties,

ties, quomodo, & cum quibus &c. poſteà iniungat, ut libros Inquiſitoribus, vel locorum ordinariis deferat, antequam abſolvatur, ſi fieri poſſit.

MISSÆ AUDITIO.

403. QUæritur. An ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, qui qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia Eccleſia obligat ad audiendam Miſſam, quæ ſit unum, & integrum ſacrificium, non cenſetur autem unum ſacrificium, ſi ſimul una medietas audietur ab uno, altera ab altero Sacerdote, & quamvis tranſmittatur, quod præcepto ſatisfiat, ſi ſucceſſive à diverſis Celebrantibus audiantur duæ medietates Miſſæ, eo quod illa ſucceſſiva auditio, licèt non terminaretur ad unam Miſſam integram phyſicè terminaretur tamen ad unam integram moraliter, at non poteſt dici, quod una Miſſa moraliter integra audiatur, ſi ſimul audiantur duæ Miſſæ partes, quia Miſſa eſt de natura ſua conflata ex partibus ſucceſſivis, ergo ſi ſimul audiantur plures Miſſæ, non auditur una Miſſa integra, ne moraliter quidem; præterea Eccleſia præcipit auditionem Miſſæ in qua poſſit audiens ſingulis partibus Miſſæ attendere, & devotionem conſonam ex iis percipere, atqui ſi ſimul plures Miſſæ partes audirentur, non poſſet homo ad ſingulas attendere, & ſuam devotionem inde percipere, ergo nulla ſimultanea partium Miſſæ auditio ſufficiens eſt ad ſatisfaciendum præcepto Eccle-

ſiæ

ſiæ de audiendo ſacro, ſive fiat audiendo ſimul duas Miſsæ partes, ſivè quatuor, aut plures, ut manifeſtè patet ex propoſ. 53. inter damnatas ab Innoc. XI.

404. Ex dictis ſequitur, non damnari ſententiam aſſerentem, quod præcepto audiendi Miſsam ſatisfaciat, qui duas Miſsæ medietates audit ordine ſuo à diverſis celebrantibus ſucceſſive, v.g. uſque ad conſecrationem ab uno, & à conſecratione uſque ad finem ab altero; neque damnationi ſubjacere opinionem non damnantem peccati mortalis, qui inverſo ordine prius audiret poſteriorem Miſsæ medietatem, deinde priorem, ſicut ſine mortali poteſt quis prius recitare veſperas deinde Matutinum, eo quod iſta ordinis inverſio non videatur magna deformitas, & ratio videtur eſse, quia obligat ſolùm Eccleſia ad integram Miſsam audiendam, atque adeò ad audiendas ſingulas Miſsæ partes, non verò ad audiendas illas continuatè ab eodem Sacerdote; neque damnari opinionem docentem, quòd poſſit aliquis ſimul audire Miſsam præceptam, & recitare horas Canonicas, Roſarium &c.

MISSÆ STIPENDIUM.

405. Quæritur. An poſſit Sacerdos pro eadem Miſsa duplicatum ſtipendium licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Urbani VIII.?

Reſp. Non poteſt Sacerdos pro eadem Miſsa duplex ſtipendium licitè accipere, ap-

applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus perſonalis ſcilicet qui cedit in bonum ipſius celebrantis, ratio eſt, quia decreto Urbani VIII. prohibentis ſtipendiorum pluralitatem pro una eademque Miſſa, acceſſit decretum Alexandri VII. expreſsè damnantis ſpropoſ. 8. utpotè repugnantem virtutibus Religionis, & juſtitiæ, cum accipere alterum ſtipendium pro fructu ſpeciali, alterum pro ſpecialiſſimo, iniuſtitiam, & ſimoniam ſapiat, nam fraudatur conferenti ſtipendium, & accipitur pretium pro re ſpirituali.

406. Quæritur. An poſſit Sacerdos accipere pro eadem Miſsa duplex ſtipendium, alterum pro præſentia, ſeu officiatura, alterum pro applicatione ſacrificii, ut ante decreta prædicta nonnulli docuerunt?

Reſp. Negativè, niſi in caſu, quo offerens ſtipendium pro officiatura exprimat, aut ex circumſtantiis arguatur, quod contentus ſit ſola præſentia, unde liceat alteri ſacrificium applicare, ſcienti enim, & volenti non fit injuria, quod ſi hoc non conſtet, certe nequit hoc duplex ſtipendium accipi, quia præſumitur, quod illud offerens velit utrumque.

407. Quæritur. An poſſit duplex ſtipendium accipi pro eadem Miſsa, ſi alter petat ſolùm impetrationem alter ſolam ſatisfactionem, è ſacrificio promanantem?

Reſp. Negativè, niſi uterque expreſsè conſentiat in hoc, quòd alter tantum ex his effectibus ſibi applicetur, aliter cenſetur utrumque effectum velle, & quamvis videatur petere tantùm impetrationem, qui petit Miſsam ad obtinendam ſalutem ægroti. im-

implicite tamen petit etiam ſatisfactionem, ut ſibi proſit, aut animabus Purgatorii, quæ eandem ſalutem ægroti ſuis orationibus impetrent, & eodem modo qui petit Miſſam pro defunctis non ſolùm vult ſatisfactionem, ſed etiam impetrationem, vel ut ſibi proſit, vel ut impetrentur alia ſuffragia pro eiſdem defunctis.

408. Quæritur. Quodnam reputetur juſtum, & adæquatum ſtipendium Miſſæ?

Reſp. Reprobata opinione aſſerentium, non eſſe juſtum niſi tantum detur, quantùm neceſſe eſt ad ſuſtentationem Sacerdotis, ac ipſius Parentum pauperum, dicimus illud eſſe juſtum, quod lex Eccleſiaſtica, vel loci conſuetudo taxavit, *juxta decret. S. Congregat. de celebratione Miſſarum ad 5.* Romæ Julium eſt ordinarium ſtipendium, & conſueta eleemoſyna pro qualibet Miſſa privata, etiam in die feſto celebranda, niſi ſpeciale incommodum temporis, vel loci Sacerdos ſubire debeat, quia tunc majus ſtipendium(non tamen duplex pro una, eademque Miſſa) accipere poterit.

409. Quæritur. An ſi ſtipendium ab uno acceptùm non ſit juſtum, ſed tenue, poſſit Sacerdos ab alio tantùm accipere quantumque ſufficit ad juſtum ſtipendium, & unica Miſſa utrique ſatisfacere?

Reſp. Negativè quia *Sacra Congregat. ibidem §. deinde;* extendit diſpoſitionem, etiam ad ſtipendia quantumcumque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive à pluribus perſonis collata fuerint, aut conferantur, neque in hoc conſideranda eſt Sacerdotis paupertas, neque victualium inopia.

410. Quæritur. An ſacerdos, qui hodie à ne-

à nemine ſtipendium accepit, poſſit Miſſam, quam celebrat, applicare illi, qui primus ſtipendium dabit?

Reſp. Non poſſe, quia legitur prohibitum à S. Congreg. Concilii in reſponſio dato 15. *Novemb.* 1605. *ſub Paulo V. ad Archiepiſcopum Hiſpalen.* & eſt Communis fidelium mens, ſtipendium dari non pro Miſſa jam dicta, ſed pro dicenda.

411. Quæritur. An poſt Urbani decretum poſſit Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta?

Reſp. Negativè, nam ex hoc ſordido lucro plurima ſequerentur incommoda, idcircò juremerito ab Urbano VIII. tale lucrum vocatur damnabile, & prohibetur, & poſt ipſum Alexander VII. opinionem affirmativam cum propoſ. 9. damnavit; & quamvis nonnulli opinentur, Sacerdotem in acceptione, ſeu retenſione hujus lucri non peccare mortaliter, nec obligari ad illud reſtituendum, oppoſitum tamen tenendum eſt tanquam certum, tum quia tam ſubtilis diſtrictio Sac. Congregat. indicat velle ſub gravi obligare, quod pariter colligitur ex decreto Urbano, ubi legitur. *ſimiliter prohibet*; cum autem antecedenter Pontifex ſub obteſtatione divini judicii mandaverit, quòd tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, aliter graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur qui ſecus egerint, & deinde dicat, ſimiliter prohibere hoc damnabile lucrum, ſequitur, quòd detur ad id obligatio ſub gravi, & onus reſtitutionis.

ter extendendum ad Sacerdotem, cui relinquitur pingue legatum annuum ad ejus vitam cum onere certarum Miſſarum; decretum enim videtur ſolùm loqui de eleemoſyna manuali.

418. Quæritur. An Parochus poſſit eleemoſynam accipere pro Miſſa celebranda iis diebus, in quibus tenetur ex divino præcepto ſacrificium offerre pro ſuis Parochianis, pro quibus tenetur ſingulis diebus, ſi reditus ſint pingues; ſi verò tenues, ſaltem diebus feſtivis. ut *S. Congr.* 10. *Maii* 1681. declaravit;

Reſp. Negativè, nam Parochi in ordine ad offerendum ſacrificium pro ſuis ovibus habent ſpecialem quamdam obligationem, diverſam ab illa, quam habent ſinguli Sacerdotes applicandi fructum Miſſæ omnibus Chriſtifidelibus, ſed iſti (quemadmodum ipſi Parochi) tenentur applicare fructum generaliſſimum omnibus fidelibus; ergo ſuis ovibus Parochus fructum medium, ſeu ſpecialem, ut ſpeciali obligationi ſatisfaciat, res eſt certa, & conformis declarationi S. Cong. Concilii *in reſponſione ad* 4.

419. Quæritur. An dato ſtipendio ad effectum, ut Miſſa determinate celebretur in tali Eccleſia, capella vel Altari, teneatur Sacerdos ibi Celebrare, & quatenus non ibi, ſed alibi ſacrificet, peccet mortaliter?

Reſp. Affirmativè, nam ita reſolutum fuit à S. Congr. Concilii 17. *Auguſti* 1647. *in una Regularium*, ratio eſt, quia facit contra ſuam obligationem in re gravi; & mentem offerentis non implet, cum quo contractum, ad minus tacite, celebravit de ibi celebrando, quando ſtipendium recepit,

juſmodi promiſſio ſecundùm ſe independenter à ratione gravis damni, quod aliàs promiſſarius pateretur, obligat ſub mortali, ſi materia ſit notabilis, in quo variant D. D. ſicut etiam variant in aſſignanda hac materia notabili.

421. Quæritur. An graviter contra juſtitiam peccet, qui accepto duplici ſtipendio unum tantùm ſacrificium offert pro utroque; & num etiam contra fidelitatem peccet graviter, qui unum ſacrum offert, debens duo ratione promiſſionis, præſertim ſi promiſſio fuerit juramento firmata; an verò ratione parvitatis materiæ excuſetur à mortali in utroque caſu?

Reſp. Non peccatur graviter, ſi omittatur una, vel altera Miſſa liberaliter promiſſa, aut ſi pro debito duarum liberaliter promiſſarum una tantùm offeratur; ratio eſt, quia damnum illud ſpirituale, quo promiſſarii privantur, non videtur notabile, nam gravitas boni ſpiritualis in his caſibus attenditur juxta facultatem habendi conſimile, quia autem facile poteſt haberi ſacrum erogando Julium, ſeu ſtipendium congruum, ideò ſicut non eſt mortale negare julium promiſſum, ita nec Miſſam promiſſam; idem dicendum, ſi quis unam, vel alteram Miſſam promittat liberaliter cum juramento, ſuppoſita probabiliſſima opinione, quòd juramentum promiſſorium homini exhibitum in materia levi non obliget graviter, dummodò tempore promiſſionis juratæ animum implendi habuerit. Verùm quia quando quis ex contractu oneroſo, ſcilicet ex ſtipendio obligat Sacerdotem ad faciendum ſacrum, videde-

detur eſſe graviter invitus, & quidem rationabiliter, quod ſacro privetur, quo indiget ſæpè ob gravem neceſſitatem, ſive ſpiritualem, ſive temporalem; ideo communiſſimè docent eſſe mortale omittere ſacrum debitum ex juſtitia; immo nonnulli putant eſſe etiam mortale aliquando illud differre, ut ſi quis petat ſacrum pro ægritudine gravi filii, & interim moriatur ex dilatione ſacri, à quo probabiliter poterat ſalutem obtinere.

422. Quod autem attinet ad reſtitutionem, qui unum ſacrum ex juſtitia debitum omittit nonniſi Carolenum, ſeu Julium tenetur reſtituere propterea negligere reſtitutionem hujus regulariter eſt veniale ex parvitate materiæ. Qui vero omittit ſacra promiſſa ex liberalitate, ut ad materiam gravem perveniat, docent communius quod requiratur quantitas quadruplo major, quam in materia juſtitiæ, undè ſi in materia juſtitiæ quantitas gravis obligans ad reſtitutionem eſſent v. g. tres Miſſæ omiſſæ, in materia fidelitatis requiruntur duodecim; in opinione verò illorum, qui docent, fidelitatem per ſe nunquam obligare graviter, eo quod nullus promittens liberaliter velit ſe graviter obligare ad promiſſum ſervandum, tunc nunquam datur obligatio gravis reſtituendi ex omiſſione Miſſarum ſponte promiſſarum; ubi tamen promiſſio ſit juramento, aut inſtrumento firmata, tunc enim cenſetur promittens velle dari alteri jus rigoroſum, & gravem ſibi injungere obligationem, non ſecus ac quando obligatur ex contractu oneroſo, atque adeo quantitas obligans tunc graviter ad reſtitutio-

titionem ea ipſa eſt, quæ in materia juſtitiæ; ex quibus omnibus innoteſcit, quid dicendum ad quæſitum propoſitum de eo, qui accepto ſtupendio duplici ob duplex ſacrum: unum tantùm pro utroque offert.

423. Quæritur. An ſit contra iuſtitiam, & contra decretum Urbanum, ſi à Capellano obligato ad celebrandum quotidie accipiatur ſtipendium novum pro Miſſis, iis diebus, quibus *ex cap. ſignificatum de Præbendis*: honeſtatis, ac debitæ devotionis cauſa permittitur aliquando ſacrum omittere?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt quia *in eo cap. ſignificatum* dicitur, non licere Sacerdoti à ſacrificio vacare cauſa voluptatis, ſed ſolùm aliquando cauſa devotionis, vel honeſtatis, unde non poteſt præſumi de benigna mente fundatoris, quod velit vacationem permittere ad otiandum, ut proinde licitum ſit Sacerdoti, otio prætermiſſo, pro alio ſtipendium offerente celebrare; quinimmò S. Congregat: interrogata ab Epiſcopo Collenſi, num liceat Sacerdoti habenti obligationem celebrandi quotidie aliquando vacare? & tunc ſi celebret, an poſſit pro ſe, vel pro ſuis ſacrificium offerre pro alio, à quo novum ſtipendium accipiat? Reſpondit *die* 18. *Septemb.* 1683. *poſſe quidem aliquando cuncurrente rationabili cauſa vacare, tunc autem non poſſe, ſi celebret, pro aliis ſacrificium offerre, quam pro fundatore illius capellaniæ*; immò interrogata etiam S. Congr. ab eodem Epiſcopo, an die vacationis teneatur Sacerdos per alium ſatisfacere, noluit annuere, ſed dixit differendam eſſe ad tale dubium reſponſionem.

424. QUæritur. Quid ſit contractus Mohatra, & an ſit licitus, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri?

Reſp. Intervenit hic contractus, dictus apud Hiſpaneos Mohatra, & apud Italos ſtocco, ſeu Barata, quoties Cajus indigens pecunia numerata adit mercatorem, qui nolens pecuniam dare mutuam offert merces, quibus ille non indiget, ut emat eas pecunia credita pretio ſummo, puta 105. & deinde ſibimet retrovendat eaſdem pecunia numerata pretio infimo, puta 100. hujuſmodi contractus damnatus eſt ut illicitus ab Innoc. XI. cum prop. 40. & quamvis non dicatur illicitus, vel quia ſcandaloſus, vel quia contra charitatem, vel quia contra juſtitiam, communiter tamen docent eſſe injuſtum, & uſuram palliatam continere, ratio eſt, quia Cajo indigenti pecunia ſolvit mercator centum, & neceſſitatem imponit, ut ille aliquando debeat ſolvere centum, & quinque, adeoque æquivalenter idem facit ac mutuatarius, qui mutuat centum, & ſupra ſortem exigit etiam quinque; tum quia contra hunc contractum eſt eadem ratio, quæ adducitur ad reprobandam uſuram, nam ideo uſura eſt illicita, quia per hanc aliquid exigitur ſupra ſortem, pro quo nullum ſubitur onus pretio æſtimabile damni emergentis, vel lucri ceſſantis, ſed in contractu Mohatra etiam nullum tale onus reperitur, & tamen ementi

rem

rem ad creditum juſto pretio, imponitur, onus, & neceſſitas retrovendendi minori pretio, & accipiendi in numerata pecunia ſolùm centum, ergo talis contractus eſt illicitus, injuſtus, & ſaltem æquivalenter uſurarius; unde malitia ejus conſiſtit in lucro ex mutuo palliato ſub prætextu venditionis, & retrovenditionis.

425. Quæritur. An Mercator videns indigentiam Sempronii, qui adigitur ad emendam mercem pretio ſummo, & ad revendendam infimo, ut ſuis neceſſitatibus conſulat, peccet, intendendo, quod Sempronius ſibi mercem retrovendat, etiamſi ad id non obliget?

Reſp. Quod ſi præeat de hoc pactum implicitum, peccat contra juſtitiam, non ſecus, ac ſi paciſceretur explicitè, ut patet; ſi vero nullum præceſſerit pactum, peccare poterit peccato ſcandali, eo quod videatur diteſcere velle ex miſeriis Sempronii, & facilè etiam peccabit contra charitatem, ſi ſcilicet citra incommodum poſſit ſubvenire Sempronio graviter indigenti, non vendendo mercem pecunia credita cum tanto ejus detrimento, ſed mere mutuando, & tamen renuat viſcera pietatis induere, ut in ea venditione lucretur; non peccabit tamen contra juſtitiam, nec uſuram committet per hoc, quod pecunia credita vendat mercem pretio ſummo, quam pecunia numerata non venderet niſi pretio medio, vel infimo, & ratio eſt, quia etiam pretium ſummum eſt juſtum, unde in tali venditione non intervenit injuſtitia.

426. Quæritur. An mercatori vendenti-

credito mercem pretio ſummo abſque prævio pacto, eo tamen animo, ut redimat pretio infimo pecunia numerata, liceat manifeſtare ementi hanc ſuam intentionem, dicendo: Vendo tibi mercem credito 105. ſi tamen indiges pecunia præſenti, paratus ſum ſum redimere illam pretio viliori, puta 100.

Reſp. Solùm ſpeculativè id eſſe probabile, practicè enim facile in manifeſtatione hujus voluntatis intercedit aliquod pactum implicitum, quod certè in foro externo præſumitur, & ideo contractus Mohatra ſic initus, eſt illicitus.

MORS CHRISTI.

427. QUæritur An Chriſtus dominus mortuus ſit pro omnibus hominibus?

Reſp. Affirmativè, eſt de fide, habetur enim 1. *ad Timot.* 2. *coram Salvatore noſtro, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & verſ.* 6. *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, &* 1. *Joan.* 2. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi*; pro omnibus itaque tam parvulis, quàm adultis, tam fidelibus, quàm infidelibus, Judæis, & Gentilibus, ac Atheiſtis Chriſtus Dominus mortuus eſt, & meruit; ideo omibus quoque dantur auxilia ſufficientia ad ſalutem conſequendam; idcirco ſententia oppoſita juremerito damnatur ad Alexandro VIII. cum propoſitionibus 4. & 5.

428. Quæritur. An Deus cuilibet in hac vita poſt quamcumque peccatorum multitu-

dinem

dinem conferat auxilia ſufficientia ad reſurgendum, an verò aliquos ita deſpiciat, ac obduret, ut non poſſint amplius reſipiſcere?

Reſp. Communiſſima ſententia docet cum Angelico, neminem à Deo poſt quamcumque multitudinem, aut gravitatem peccatorum ita deſeri, ut non poſſit phyſicè, ſi velit, reſipiſcere, eſto ſæpe non poſſit moraliter; idque videntur innumera ſcripturæ loca inſinuare, nec non concilia, & Patres; hoc etiam divinæ Bonitati, ac miſericordiæ proculdubio eſt magis conſonum, atque adeo ita dicendum; quæ vero ex ſcripturis, & SS. P. P. in oppoſitum poſſunt adduci, intelligenda ſunt, quod Deus in pœnam peccatorum nonnullis ſæpe deneget auxilium efficax, non vero ſufficiens, & quod ſæpè ob depravatos mores non poſſint illi moraliter, non verò quod non poſſint phyſicè reſipiſcere, & ad bonam frugem redire.

OBLATIO.

429. QUæritur. An oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum pro peccatis, ſufficienter teſtentur, quod indiguerit purificatione?

Reſp. Tanquam hæretica expræſsè damnatur ab Alexandro VIII. propoſitio 24. aſſerens, B. V. Mariam indiguiſſe purificatione, nam hoc eſt negare ipſius Virginitatem, & dicere, cum impuritate, immunditia, & fractione clauſtri Virginalis pe-

periſſe Chriſtum Dominum, ſicut cæteræ mulieres proprios filios pariunt; lex illa *Levitici* 12. Virginem Mariam non comprehendebat, nam ibi textus loquitur de muliere, quæ ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, Maria autem nec ſemine viri concepit, nec viri opera genuit, ut fides docet per illud Symboli: *qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*: ergo V. Maria non eguit purificatione, neque ob maculam ullam realem, neque ob maculam legalem, neque ob præſumptionem maculæ, ſed purificationis legem implevit ad præbendum aliis exemplum obedientiæ, & ad ſcandalum viteandum, quin legi minime teneretur, quia ſine ulla ſorde filium peperit ſantiſſime, & puriſſime, & in cujus partu nihil erat purgandum, nihil impurum, cum Proles ſit fons puritatis, & ipſa mundiſſima.

OCCASIO PROXIMA.

430. Quæritur. An Concubinarius à Confeſſario obligandus ſit ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis ſit ad oblectamentum concubinarii, vulgò regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur?

Reſp. Omninò obligandum eſſe, ut manifeſte patet ex propoſ. 41. inter damnatas ab Alexandro VII. ratio eſt, quia occaſio proxima peccandi materialiter ſumpta, ut eſt concubina domi, tolli debet, niſi detur impoſſibilitas, aut phyſica, aut moralis

ralis eam tollendi, adeo ut non ſufficiat ad eam retinendam, aut occaſio lucri, aut cauſa damni, quia ſi non detur ea impotentia tollendi occaſionem proximam, ſeu periculum peccandi, hujuſmodi periculum eſt voluntarium, & peccaminoſum, qui enim amat periculum, peribit in illo, atque adeo peccat; hinc Chriſtus Dominus *Matth.* 18. *dixit ſi oculus tuus ſcandalizat te, erve eum, & proiice abs te*, vult itaque Dominus, quod etiam oculos, ſeu ea, quæ maxime diligimus, & præ oculis habemus à nobis abiiciamus, ſi ſint occaſio ruinæ ſpiritualis, melius eſt enim cum uno oculo ad vitam intrare quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

431. Ex quo ſequitur 1. Concubinam eiiciendam eſſe in caſibus adductis, quia in iis occaſio peccandi eſt voluntaria, atque adeo peccaminoſa, nam damnum illud non eſt adeo grave, ut refundat impotentiam moralem, ac reddat occaſionem illam involuntariam.

432. Seqitur 2. Negandam omninò eſſe abſolutionem ei, qui in proxima hujuſmodi occaſione peccandi verſatur, quamvis dicat firmiſſimum habere propoſitum non peccandi, nam tale propoſitum non eſt efficax, nec univerſale, cum non ſe extendat ad tollendam occaſionem proximam quam debet, & poteſt tollere.

433. Sequitur ultimo, ad retinendam occaſionem proximam peccandi non ſufficere quamcumque cauſam utilem, aut honeſtam, nec poſſe eam directè quæri pro ſpirituali, aut temporali bono noſtro, vel proximi; quod pariter conſtat ex propoſitio-

nibus 62. & 63. inter damnatas ab Innoc. XI. & ratio eſt, quia hujuſmodi cauſæ non efficiunt, quominus ea occaſio ſit voluntaria, & peccaminoſa.

434. Quæritur. An poſſit abſolvi concubinarius prima vice, ſcilicet antequam expellat, & relinquat concubinam, cum qua voluntarie verſatur?

Reſp. Negativè, contra aliquos aſſerentes, poſſe abſolvi bis, ter, vel quater, modo habeat propoſitum relinquendi, ſeu expellendi, quorum ſententia videtur improbabilis, nam præceptum non retinendi concubinam, quam quis poteſt dimittere, eſt negativum: ne retineas: quod obligat ſemper, & pro ſemper; ergo qui ad pœnitentiæ Sacramentum accedit, antequam occaſionem illam tollat, cenſetur ſine debito propoſito efficaci non peccandi de cætero accædere, quandoquidem in hoc ipſo, quod occaſio peccandi non tollatur, quando poteſt tolli, peccatur; neque obſtat, quod dicat habere firmum propoſitum tollendi, nam ſi ſtatim non tollit, eo ipſo vult de præſenti in ea occaſione manere, atque adeo peccat; ſicut qui appropinquante leone proponit fugere, & non ſtatim fugit; cenſetur velle in periculo mortis manere.

435. Quæritur. An poſſit obſolvi concubinarius, qui prima vice ſe accuſat de occaſione proxima, ignorans eam occaſionem eſſe impedimentum abſolutionis?

Reſp. Nec in hoc caſu eſſe abſolvendum, donec concubina expellatur, licet enim ignoraverit obligationem expellendi, tamen cum à Confeſſario de ea mone-

tur.

tur, inſtat præceptum negativum, quod obligat ſemper, & pro ſemper.

436. Quæritur. An ſi dicat Confeſſario: Pater, jurabo per Deum, me revera quamprimùm concubinam dimiſſurum, poſſit abſolvi?

Reſp. Non eſt abſolvendus, antequam de facto ſeparatio fiat, neque Confeſſarius exigere, nec admittere debet juramentum; ſed jubere ante abſolutionem ſeparari, & id ſemper in praxi ſequendum eſt.

537. Quæritur. An poſſit abſolvi qui concubinam in domo aliena propriis expenſis alit, & tantùm ſemel in menſe ad ipſam accedit, & cum ea peccat?

Reſp. Negativè, qua indiſpoſitus eſt pro beneficio abſolutionis, antequam eam amplius non viſitet, nec propriis expenſis alat.

438. Quæritur. An poſſit abſolvi qui in articulo mortis exiſtens non poteſt tunc concubinam expellere?

Reſp. Aliqui affirmant, modo habeat firmum propoſitum eam eiiciendi quamprimùm poterit: Nihilominus in re tam difficili magna prudentia opus eſt, cum non videatur, quid in tam periculoſo ſtatu poſſit impedire, & retardare, quin concubinarius ſtatim eam expellat, ſcandalum datum eſt certum, ſicut ipſum periculum peccandi eſt probabiliſſimum, ſi non copula ad minus cogitatione, & deſiderio, hæc tenetur vitare, ergo etiam ipſam expellere.

439. Quæritur. An poſſit abſolvi, ſi adducat, quod à pluribus annis habitavit cum fæmina, ex qua genuit filios, & filias, & omnibus creditur ſua uxor legitima,

ideoque ſi eam expellat, proculdubio infamia notabilis utriuſque ſequeretur?

Reſp. In tali caſu debet Confeſſarius eos matrimonio conjungere, modo ſit Parochus, aliàs vocandus, vel ab eo, aut ab Epiſcopo licentia obtinenda eſt, ex *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reſor. matr.* etiam duo teſtes debent eſſe præſentes, aliter matrimonium eſſet clandeſtinum, quod eſt expreſſe prohibitum; caveat autem Confeſſarius, ne vocando teſtes frangat ſigillum, ideo optimum eſſet petere à pœnitente licentiam vocandi eos.

440. Quæritur. An ſi ſenſibus ſit deſtitutus, ita ut non valeat ad interrogationes reſpondere, nec Confeſſarius de ejuſdem propoſito certificari, abſolvi poſſit?

Reſp. Vel adſtantes teſtantur Confeſſarium petiiſſe, vel non; ſi primum, abſolutio non negetur ſaltem ſub conditione, ſi eſt diſpoſitus: quia ſupponi poteſt cum vero propoſito non peccandi de cætero, & expellendi concubinam Confeſſarium optaſſe; ſi de eo non poſſint teſtari, nec nutibus, & ſignis ipſe dolorem, & propoſitum confitendi oſtendit, neque ſub conditione abſolvendus eſt, cum chriſtiano more antea non vixerit, ſed divinæ miſericordiæ commendandus.

44. Quæritur. An poſſit abſolvi ancilla, quæ Confitetur, ſe à multis annis eſſe concubinam domini ſui, ſed velle ex corde ad ſtatum gratiæ redire; verùm ſi à domo diſcedat, timet fame perituram, vel cum aliis in peccatum lapſuram, cum multi eam inſequantur?

Reſp. Non eſt obſolvenda, niſi à domo diſce-

diſcedat, etiam ſi timeat, quod ſit fame peritura, nam quiſque tenetur peccatum mortale vitare, etiam cum periculo vitæ, & licèt ipſa promittat reſiſtere libidini Domini, nullatenus eſt abſolvenda ante egreſſum, nam ſi vult in domo perſiſtere, eſt ſignum evidens, quod vult etiam perſiſtere in concubinatu; ſi quæras ſuperquo ſint concubinæ, concubinarii, ac meretrices interrogandi, vide v. Confeſſio. *qu.* 127.

442. Quæritur. An qui verſatur in proxima occaſione peccandi, quam tollere aut phyſicè, aut moraliter non poteſt, abſolvi poſſit?

Reſp. In tali caſu opus eſt magna prudentia in Confeſſerio, ne abſolutionem impendat indigno, ideo debet prius interrogare pœnitentem, an ipſe poſſit operari, ut occaſio involuntaria ante abſolutionem removeatur; ſi neget, eſt interrogandus, an aliàs aliis Confeſſariis ſuper hoc Confeſſus ſit, & quatenus affirmet, videat, an impleverit quæ ei fuerunt ab eis iniuncta ad vitandum peccatum, ſi omiſiſſe reperiat, ſine abſolutione dimittat, ſed admonitus de periculoſo ſtatu ſuæ ſalutis, & quod tenetur ea implere, ſi abſolutionem deſideret; ſi impleverit, & à peccato abſtinuit, abſolvi poterit, ſi vero de illa occaſione nunquam Confeſſus fuit, quia peccare incepit ab ultima Confeſſione, interrogandus eſt, an ſi illo manè non communicet, revera immineat periculum ſcandali, aut infamiæ, ſi affirmet, tunc ad vitandum ſcandalum, vel infamiam poteſt abſolvi, modo judicetur diſpoſitus, onere tamen impoſito, & per eum

ſuſcepto implendi neceſſaria ad extenuandum periculum proximum; ſi aſſerat ſcandalum ex omiſſione Communionis non ſuborri, abſolutionem differat, & ipſum admoneat, teneri ſuis actibus ad extenuandum, & ſuperandum illud periculum, adhibendo omnem diligentiam, quæ ad id conducere poteſt, ut non converſari, & loqui cum ſola, vel in ſolitario loco, nunquam hilari facie ſe illi præbere, neque reciprocum amorem oſtendere, jejuniis, & orationibus adverſus lapſum ſe munire, eleemoſynas elargiri, actus contritionis elicere, ſæpius Confiteri &c. vide monita S. Caroli à num. 39.

443. Quæritur. An qui verſatur in ea occaſione voluntaria, ſi bis relabatur in peccatum, abſolvi poſſit?

Reſp. Videndum, eſt an impleverit prius iniuncta à Confeſſario, ſi non impleverit, non eſt abſolvendus, & quamvis adducat ſibi periculum ſcandali, vel infamiæ imminere, non eſt admittenda excuſatio, & ſibi id imputet, nam aliàs ſemper deberet abſolvi, quia ſemper tale periculum afferret, & ſic nunquam tolleretur occaſio; deinde conſideretur, an lapſus potius ex fragilitate, & repentino caſu fuerit, quam ex voluntaria expoſitione periculo peccandi, & tunc poſſet in caſu ſcandali, vel infamiæ abſolvi, ſed Confeſſarius deberet ſe difficilem oſtendere ad abſolutionem impendendam, eique ſignificare, nullum damnum æquiparari poſſe damno animæ, & nihil magis infame, quàm eſſe turpem coram Deo; ſed ſi ter, & multo magis ſi quater relabatur, nullatenus eſt abſolvendus, quia

ſpes.

ſpes emendationis non apparet.

445. Quæritur. An Confeſſarius poſſit permittere pœnitenti, qui concubinam dimiſit, ut ejus domum accedat ad viſitandos filios, quos ex ea genuit?

Reſp. Negativè, propter periculum peccandi facto, verbo, vel delectatione, cui tamen in caſu urgentis neceſſitatis, & cum viris probis acceſſum aliquando permittunt nonnulli; ſed cave, ne ſis laxus.

446. Quæritur. An poſſit abſolvi pœnitens, qui ex rationabili cauſa domi retinet mulierem, cum qua ſolùm ter, vel quater in anno peccat?

Reſp. Interroget Confeſſarius, an aliàs ſuper eo fuerit Confeſſus, & dum affirmat abſolvendus non eſt, quia fructus propoſiti non apparet; maximè quia non poteſt Confeſſarius abſolvere pœnitentem, dum prudenter timet de veritate, & efficacia propoſiti, in caſu enim noſtro debet prudenter timere, quia ſi verùm, & firmum propoſitum haberet pœnitens, mulierem illam depelleret, cum qua experitur peccare; nec cauſa adducta eum poteſt excuſare ad non dimittendum, obſtat enim damnatio propoſ. 61. facta ab Innoc. XI. & urget periculum, quod occaſio. quæ videtur remota, tranſeat in proximam propter circumſtantiam ſimultaneæ cohabitationis, quod eſt à Confeſſario veriſimiliter præſumendum, & proponendum pœnitenti illud vulgatum: mus in pera, ignis in ſinu, ſerpens in gremio male ſuos remunerant hoſpites.

447. Quæritur. An poſſit abſolvi qui exercet artem per ſe licitam, ut negotiationem, mili-

militiam, & ſimiles, quæ eſt illi occaſio peccati, furti nimirum, odii, calumniæ, detractionis, luxuriæ, fraudum perjuriorum &c.?

Reſp. Negativè, nam dum Confeſſarius conſiderat, quod exercens artem, vel officium, propter habitum pravum non ſit peccatum derelicturus, ſed in idem relapſurus, ſi in officio perſeveret, & exercitium non deſerat, nequit prudenter judicare, eum habere firmum propoſitum non peccandi de cætero (quod ad validam, & licitam abſolutionem eſt neceſſarium) ergo non debet, nec poteſt abſolvere antequam pœnitens exercitium deſerat, vel debet abſolutionem differre, quoadusque ipſum experiatur notabiliter emendatum; ex his manifeſtum eſt, quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat etiam cum Medico, & Chirurgo, quibus propria ars eſt occaſio peccati, quatenus in medendis partibus occultis fœminarum experiuntur voluntarias pollutiones, vel delectationes; & cum Sacerdote, qui in audiendis Confeſſionibus Mulierum frequenter experitur eaſdem delectationes, vel pollutiones, quibus omnibus eſt differenda abſolutio, & quando dilatio non proficiat, abſolvendi non ſunt, niſi realiter, & cum effectu propria miniſteria deſerant; quod extenditur etiam ad famulos mulierum pulchrarum, experientes propter familiaritatem cum ipſis frequenter conſentire in delectationes moroſas, prava deſideria, & voluntarias impuritates; idem dicendum de his, qui conducunt domos ad ludendum, & ſubminiſtrant chartas, menſam &c. ludis prohibitis, & de luden-

tibus, qui blaſphemant, pejerant, omittunt ſacrum, ſubſtentationem familiæ, ſolutionem debitorum, fraudant, divinant per ſomnia; qui abſolvendi non ſunt, niſi ceſſent, ſed opus eſt experimento per aliquot dies.

448. Quæritur. An ſit licitum quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi?

Reſp. Negative, quia id ab Innoc. XI. cum propoſ. 63. proſcribitur; ratio autem eſſe poteſt, quia quærere directe occaſionem proximam peccandi, eſt velle directe peccandi periculum, velle autem periculum proximum peccandi eſt velle peccatum, nam in moralibus idem eſt, ſe exponere periculo proximo peccandi, ac peccare; peccatum autem nullus poteſt velle, quia eligibile non eſt propter ullum bonum ſive ſpirituale, ſive temporale proprium, vel alterius; cum rectus rerum ordo expoſcat, & recta ratio dictet, ac ordo charitatis exigat, ut bonum ſpirituale animæ propriæ præferatur cuicumque bono temporali proprio, & etiam ſpirituali alterius.

449. Quæritur. An exponens ſe voluntariè occaſioni proximæ peccandi, id aperire debeat in Confeſſione, quando in ea conſtitutus, nec cogitatione, nec opere, aut verbo peccat?

Reſp. Affirmative, ratio eſt, quia exponere ſe voluntarie occaſioni proximæ peccandi, peccatum eſt, cum neceſſe ſit, quod velit effectum, qui vult cauſam, ad quam ille ſequitur quamvis hic, & nunc per accidens non ſequatur, & propterea

peccat

peccat peccato ejuſdem ſpeciei cum peccato, cujus occaſioni ſe exponit, quod eſt in Confeſſione explicandum; qui enim ſe exponit occaſioni proximæ perdendi fidem, peccat contra fidem, & contra caſtitatem qui ſe exponit occaſioni proximæ violandi caſtitatem, ſive per actum externum fornicationis, pollutionis &c. ſive per internum delectationis moroſæ, & deſiderii impuri, licèt in ea conſtitutus nihil deſideraverit, nil egerit, nec ſibi complacuerit, quod eſt à Confeſſariis valde ponderandum, ut interrogent, maxime perſonas rudes, quæ in rebus venereis ſolent ſolùm ſe accuſare de actu conſummato peccati, quinimmò plures nec de interno ſe accuſant putantes conſenſum non præbere, niſi dum in externum prorumpunt.

OPINIO PROBABILIS.

450. Quæritur. Quid ſit opinio probabilis, quidve probabilior, & quænam tuta, quænamve tutior?

Reſp. Probabilis, eſt aſſenſus, quo intellectus propter alicujus momenti rationem, vel auctoritatem D D. uni parti adhæret, vel judicat eſſe licitum aliquid, vel illicitum, ſed cum formidine de oppoſito; Probabilior verò eſt, quæ pro ſe habet plures, & majoris ponderis rationes, pluriumque, vel graviorum D. D. auctoritatem; rationes ſunt, quæ opinionem ab intrinſeco probabilem reddunt, auctoritates verò ab extinſeco probabilem oſtendunt; tuta autem, & tutior opinio dicitur ex quo aliquo modo, vel ſecurius vitat peccatum.

451. Quæritur. Quid requiratur ad hoc, ut opinio ſit verè probabilis?

Reſp. Requiritur 1. quod ratio, & motivum ſit magni momenti, non ſolùm ſecundùm ſe; ſed etiam comparativè ad argumenta in contrarium, ut ab his non enervetur. 2. ne ſit contra evidentiam ſenſuum, aut aliam demonſtrationem. 3. ne ex ea ſequatur ullum manifeſtè abſurdum. 4. ne ratio, ſeu motivum ſit contra communem ſenſum omnium, qui illam ſententiam examinarunt. 5. ne Eccleſia aliquid in contrarium definierit, quapropter multitudo D. D. priorum veſtigia inſtar ovium ſequentium, nulla rationum diſcuſſione premiſſa, non facit opinionem probabilem, nam ad id opus eſt, ut eam ponderatis rationibus confirment.

452. Quæritur. An detur diſcrimen inter opinionem ſpeculativè probabilem, & probabilem practice?

Reſp. Affirmativè, nam opinio ſpeculativè probabilis eſt illa, quæ affirmat, vel negat aliquid ſecundùm ſe in communi, & in abſtracto eſſe licitum, vel illicitum, præſcindendo à circumſtantiis in particulari, quæ reddunt quaſdam actiones illicitas, quæ moraliter ad praxim redigi non poſſunt; v. g. eſt ſpeculativè probabile, quod non ſit mortale petere ex amore juſtitiæ vindicativæ ab Iudice, ut capite plectat eum, qui filium ſuum proditorie occidit, & tamen eſt practicè improbabile id eſſe licitum petere propter periculum gaudendi de vindicta privata, & quod mors occiſoris placeat; & ſic de ſimilibus; opinio practice probabilis eſt illa, quæ prudenden-

424. Quæritur. Quid ſit contractus Mohatra, & an ſit licitus, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri?

Reſp. Intervenit hic contractus, dictus apud Hiſpaneos Mohatra, & apud Italos ſtocco, ſeu Barata, quoties Cajus indigens pecunia numerata adit mercatorem, qui nolens pecuniam dare mutuam offert merces, quibus ille non indiget, ut emat eas pecunia credita pretio ſummo, puta 105. & deinde ſibimet retrovendat eaſdem pecunia numerata pretio infimo, puta 100. hujuſmodi contractus damnatus eſt ut illicitus ab Innoc. XI. cum prop. 40. & quamvis non dicatur illicitus, vel quia ſcandaloſus, vel quia contra charitatem, vel quia contra juſtitiam, communiter tamen docent, eſſe injuſtum, & uſuram palliatam continere, ratio eſt, quia Cajo indigenti pecunia ſolvit mercator centum, & neceſſitatem imponit, ut ille aliquando debeat ſolvere centum, & quinque, adeoque æquivalenter idem facit ac mutuatarius, qui mutuat centum, & ſupra ſortem exigit etiam quinque; tum quia contra hunc contractum eſt eadem ratio, quæ adducitur ad reprobandam uſuram, nam ideo uſura eſt illicita, quia per hanc aliquid exigitur ſupra ſortem, pro quo nullum ſubitur onus pretio æſtimabile damni emergentis, vel lucri ceſſantis, ſed in contractu Mohatra etiam nullum tale onus reperitur, & tamen ementi

rem

rem ad creditum juſto pretio, imponitur, onus, & neceſſitas retrovendendi minori pretio, & accipiendi in numerata pecunia ſolùm centum, ergo talis contractus eſt illicitus, injuſtus, & ſaltem æquivalenter uſurarius; unde malitia ejus conſiſtit in lucro ex mutuo palliato ſub prætextu venditionis, & retrovenditionis.

425. Quæritur. An Mercator videns indigentiam Sempronii, qui adigitur ad emendam mercem pretio ſummo, & ad revendendam infimo, ut ſuis neceſſitatibus conſultat, peccet, intendendo, quod Sempronius ſibi mercem retrovendat, etiamſi ad id non obliget?

Reſp. Quod ſi præeat de hoc pactum implicitum, peccat contra juſtitiam, non ſecus, ac ſi paciſceretur explicitè, ut patet; ſi vero nullum præceſſerit pactum, peccare poterit peccato ſcandali, eo quod videatur diteſcere velle ex miſeriis Sempronii, & facilè etiam peccabit contra charitatem, ſi ſcilicet citra incommodum poſſit ſubvenire Sempronio graviter indigenti, non vendendo mercem pecunia credita cum tanto ejus detrimento, ſed mere mutuando, & tamen renuat viſcera pietatis induere, ut in ea venditione lucretur; non peccabit tamen contra juſtitiam, nec uſuram committet per hoc, quod pecunia credita vendat mercem pretio ſummo, quam pecunia numerata non venderet niſi pretio medio, vel infimo, & ratio eſt, quia etiam pretium ſummum eſt juſtum, unde in tali venditione non intervenit injuſtitia.

426. Quæritur. An mercatori vendenti-

credito mercem pretio ſummo abſque prævio pacto, eo tamen animo, ut redimat pretio infimo pecunia numerata, liceat manifeſtare ementi hanc ſuam intentionem, dicendo: Vendo tibi mercem credito 105. ſi tamen indiges pecunia præſenti, paratus ſum ſum redimere illam pretio viliori, puta 100.

Reſp. Solùm ſpeculativè id eſſe probabile, practicè enim facile in manifeſtatione hujus voluntatis intercedit aliquod pactum implicitum, quod certè in foro externo præſumitur, & ideo contractus Mohatra ſic initus, eſt illicitus.

MORS CHRISTI.

427. Quæritur An Chriſtus dominus mortuus ſit pro omnibus hominibus?

Reſp. Affirmativè, eſt de fide, habetur enim 1. *ad Timot.* 2. *coram Salvatore noſtro, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & verſ. 6. dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, & 1. Joan. 2. ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi*; pro omnibus itaque tam parvulis, quàm adultis, tam fidelibus, quàm infidelibus, Judæis, & Gentilibus, ac Atheiſtis Chriſtus Dominus mortuus eſt, & mervit; ideo omibus quoque dantur auxilia ſufficientia ad ſalutem conſequendam; idcirco ſententia oppoſita juremerito damnatur ad Alexandro VIII. cum propoſitionibus 4. & 5.

428. Quæritur. An Deus cuilibet in hac vita poſt quamcumque peccatorum multitu-

dinem

dinem conferat auxilia ſufficientia ad reſurgendum, an verò aliquos ita deſpiciat, ac obduret, ut non poſſint amplius reſipiſcere?

Reſp. Communiſſima ſententia docet cum Angelico, neminem à Deo poſt quamcumque multitudinem, aut gravitatem peccatorum ita deſeri, ut non poſſit phyſicè, ſi velit, reſipiſcere, eſto ſæpe non poſſit moraliter; idque videntur innumera ſcripturæ loca inſinuare, nec non concilia, & Patres; hoc etiam divinæ Bonitati, ac miſericordiæ proculdubio eſt magis conſonum, atque adeo ita dicendum; quæ vero ex ſcripturis, & SS. P. P. in oppoſitum poſſunt adduci, intelligenda ſunt, quod Deus in pœnam peccatorum nonnullis ſæpe deneget auxilium efficax, non vero ſufficiens, & quod ſæpè ob depravatos mores non poſſint illi moraliter, non verò quod non poſſint phyſicè reſipiſcere, & ad bonam frugem redire.

OBLATIO.

429. QUæritur. An oblatio in cemplo, quæ fiebat à B. V. Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum pro peccatis, ſufficienter teſtentur, quod indiguerit purificatione?

Reſp. Tanquam hæretica expræſsè damnatur ab Alexandro VIII. propoſitio 24. aſſerens, B. V. Mariam indiguiſſe purificatione, nam hoc eſt negare ipſius Virginitatem, & dicere, cum impuritate, immunditia, & fractione clauſtri Virginalis pe-

periſſe Chriſtum Dominum, ſicut cæteræ mulieres proprios filios pariunt; lex illa *Levitici* 12. Virginem Mariam non comprehendebat, nam ibi textus loquitur de muliere, quæ ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, Maria autem nec ſemine viri concepit, nec viri opera genuit, ut fides docet per illud Symboli: *qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine* : ergo V. Maria non eguit purificatione, neque ob maculam ullam realem, neque ob maculam legalem, neque ob præſumptionem maculæ, ſed purificationis legem implevit ad præbendum aliis exemplum obedientiæ, & ad ſcandalum viteandum, quin legi minime teneretur, quia ſine ulla ſorde filium peperit ſantiſſime, & puriſſime, & in cujus partu nihil erat purgandum, nihil impurum, cum Proles ſit fons puritatis, & ipſa mundiſſima.

OCCASIO PROXIMA.

430. QUæritur. An Concubinarius à Confeſſario obligandus ſit ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis ſit ad oblectamentum concubinarii, vulgò regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur?

Reſp. Omninò obligandum eſſe, ut manifeſte patet ex propoſ. 41. inter damnatas ab Alexandro VII. ratio eſt, qui occaſio proxima peccandi materialiter ſumpta, ut eſt concubina domi, tolli debet, niſi detur impoſſibilitas, aut phyſica, aut moralis

ralis eam tollendi, adeo ut non ſufficiat ad eam retinendam, aut occaſio lucri, aut cauſa damni, quia ſi non detur ea impotentia tollendi occaſionem proximam, ſeu periculum peccandi, hujuſmodi periculum eſt voluntarium, & peccaminoſum, qui enim amat periculum, peribit in illo, atque adeo peccat; hinc Chriſtus Dominus *Matth.* 18. *dixit ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te*, vult itaque Dominus, quod etiam oculos, ſeu ea, quæ maxime diligimus, & præ oculis habemus à nobis abiiciamus, ſi ſint occaſio ruinæ ſpiritualis, melius eſt enim cum uno oculo ad vitam intrare quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

431. Ex quo ſequitur 1. Concubinam eiiciendam eſſe in caſibus adductis, quia in iis occaſio peccandi eſt voluntaria, atque adeo peccaminoſa, nam damnum illud non eſt adeo grave, ut refundat impotentiam moralem, ac reddat occaſionem illam involuntariam.

432. Seqitur 2. Negandam omninò eſſe abſolutionem ei, qui in proxima hujuſmodi occaſione peccandi verſatur, quamvis dicat firmiſſimum habere propoſitum non peccandi, nam tale propoſitum non eſt efficax, nec univerſale, cum non ſe extendat ad tollendam occaſionem proximam quam debet, & poteſt tollere.

433. Sequitur ultimo, ad retinendam occaſionem proximam peccandi non ſufficere quamcumque cauſam utilem, aut honeſtam, nec poſſe eam directè queri pro ſpirituali, aut temporali bono noſtro, vel proximi; quod pariter conſtat ex propoſitio-

nibus 62. & 63. inter damnatas ab Innoc. XI. & ratio eſt, quia hujuſmodi cauſæ non efficiunt, quominus ea occaſio ſit voluntaria, & peccaminoſa.

434. Quæritur. An poſſit abſolvi concubinarius prima vice, ſcilicet antequam expellat, & relinquat concubinam, cum qua voluntarie verſatur?

Reſp. Negativè, contra aliquos aſſerentes, poſſe abſolvi bis, ter, vel quater, modo habeat propoſitum relinquendi, ſeu expellendi, quorum ſententia videtur improbabilis, nam præceptum non retinendi concubinam, quam quis poteſt dimittere, eſt negativum: ne retineas: quod obligat ſemper, & pro ſemper; ergo qui ad pœnitentiæ Sacramentum accedit, antequam occaſionem illam tollat, cenſetur ſine debito propoſito efficaci non peccandi de cætero accædere, quandoquidem in hoc ipſo, quod occaſio peccandi non tollatur, quando poteſt tolli, peccatur; neque obſtat, quod dicat habere firmum propoſitum tollendi, nam ſi ſtatim non tollit, eo ipſo vult de præſenti in ea occaſione manere, atque adeo peccat; ſicut qui appropinquante leone proponit fugere, & non ſtatim fugit; cenſetur velle in periculo mortis manere.

435. Quæritur. An poſſit obſolvi concubinarius, qui prima vice ſe accuſat de occaſione proxima, ignorans eam occaſionem eſſe impedimentum abſolutionis?

Reſp. Nec in hoc caſu eſſe abſolvendum, donec concubina expellatur, licet enim ignoraverit obligationem expellendi, tamen cum à Confeſſario de ea monetur.

tur, inſtat præceptum negativum, quod obligat ſemper, & pro ſemper.

436. Quæritur. An ſi dicat Confeſſario: Pater, jurabo per Deum, me revera quamprimùm concubinam dimiſſurum, poſſit abſolvi?

Reſp. Non eſt abſolvendus, antequam de facto ſeparatio fiat, neque Confeſſarius exigere, nec admittere debet juramentum; ſed jubere ante abſolutionem ſeparari, & id ſemper in praxi ſequendum eſt.

537. Quæritur. An poſſit abſolvi qui concubinam in domo aliena propriis expenſis alit, & tantùm ſemel in menſe ad ipſam accedit, & cum ea peccat?

Reſp. Negativè, qua indiſpoſitus eſt pro beneficio abſolutionis, antequam eam amplius non viſitet, nec propriis expenſis alat.

438. Quæritur. An poſſit abſolvi qui in articulo mortis exiſtens non poteſt tunc concubinam expellere?

Reſp. Aliqui affirmant, modo habeat firmum propoſitum eam eiiciendi quamprimùm poterit: Nihilominus in re tam difficili magna prudentia opus eſt, cum non videatur., quid in tam periculoſo ſtatu poſſit impedire, & retardare, quin concubinarius ſtatim eam expellat, ſcandalum datum eſt certum, ſicut ipſum periculum peccandi eſt probabiliſſimum, ſi non copula ad minus cogitatione, & deſiderio, hæc tenetur vitare, ergo etiam ipſam expellere.

439. Quæritur. An poſſit abſolvi, ſi adducat, quod à pluribus annis habitavit cum fæmina, ex qua genuit filios, & filias, & omnibus creditur ſua uxor legitima,

diſcedat, etiam ſi timeat, quod ſit fame peritura, nam quiſque tenetur peccatum mortale vitare, etiam cum periculo vitæ, & licèt ipſa promittat reſiſtere libidini Domini, nullatenus eſt abſolvenda ante egreſſum, nam ſi vult in domo perſiſtere, eſt ſignum evidens, quod vult etiam perſiſtere in concubinatu; ſi quæras ſuperquo ſint concubinæ, concubinarii, ac meretrices interrogandi, vide v. Confeſſio. *qu.* 127.

442. Quæritur. An qui verſatur in proxima occaſione peccandi, quam tollere aut phyſicè, aut moraliter non poteſt, abſolvi poſſit?

Reſp. In tali caſu opus eſt magna prudentia in Confeſſerio, ne abſolutionem impendat indigno, ideo debet prius interrogare pœnitentem, an ipſe poſſit operari, ut occaſio involuntaria ante abſolutionem removeatur; ſi neget, eſt interrogandus, an aliàs aliis Confeſſariis ſuper hoc Confeſſus ſit, & quatenus affirmet, videat, an impleverit quæ ei fuerunt ab eis iniuncta ad vitandum peccatum, ſi omiſiſſe reperiat, ſine abſolutione dimittat, ſed admonitus de periculoſo ſtatu ſuæ ſalutis, & quod tenetur ea implere, ſi abſolutionem deſideret; ſi impleverit, & à peccato abſtinuit, abſolvi poterit, ſi vero de illa occaſione nunquam Confeſſus fuit, quia peccare incepit ab ultima Confeſſione, interrogandus eſt, an ſi illo manè non communicet, revera immineat periculum ſcandali, aut infamiæ, ſi affirmet, tunc ad vitandum ſcandalum, vel infamiam poteſt abſolvi, modo judicetur diſpoſitus, onere tamen impoſito, & per eum

ſuſcepto implendi neceſſaria ad extenuandum periculum proximum; ſi aſſerat ſcandalum ex omiſſione Communionis non ſubirri, abſolutionem differat, & ipſum admoneat, teneri ſuis actibus ad extenuandum, & ſuperandum illud periculum, adhibendo omnem diligentiam, quæ ad id conducere poteſt, ut non converſari, & loqui cum ſola, vel in ſolitario loco, nunquam hilari facie ſe illi præbere, neque reciprocum amorem oſtendere, jejuniis, & orationibus adverſus lapſum ſe munire, eleemoſynas elargiri, actus contritionis elicere, ſæpius Confiteri &c. vide monita S. Caroli à num. 39.

443. Quæritur. An qui verſatur in ea occaſione voluntaria, ſi bis relabatur in peccatum, abſolvi poſſit?

Reſp. Videndum, eſt an impleverit prius iniuncta à Confeſſario, ſi non impleverit, non eſt abſolvendus, & quamvis adducat ſibi periculum ſcandali, vel infamiæ imminere, non eſt admittenda excuſatio, & ſibi id imputet, nam aliàs ſemper deberet abſolvi, quia ſemper tale periculum afferret, & ſic nunquam tolleretur occaſio; deinde conſideretur, an lapſus potius ex fragilitate, & repentino caſu fuerit, quam ex voluntaria expoſitione periculo peccandi, & tunc poſſet in caſu ſcandali, vel infamiæ abſolvi, ſed Confeſſarius deberet ſe difficilem oſtendere ad abſolutionem impendendam, eique ſignificare, nullum damnum æquiparari poſſe damno animæ, & nihil magis infame, quàm eſſe turpem coram Deo; ſed ſi ter, & multo magis ſi quater relabatur, nullatenus eſt abſolvendus, quia

ſpes.

ſpes emendationis non apparet.

445. Quæritur. An Confeſſarius poſſit permittere pœnitenti, qui concubinam dimiſit, ut ejus domum accedat ad viſitandos filios, quos ex ea genuit?

Reſp. Negativè, propter periculum peccandi facto, verbo, vel delectatione, cui tamen in caſu urgentis neceſſitatis, & cum viris probis acceſſum aliquando permittunt nonnulli; ſed cave, ne ſis laxus.

446. Quæritur. An poſſit abſolvi pœnitens, qui ex rationabili cauſa domi retinet mulierem, cum qua ſolùm ter, vel quater in anno peccat?

Reſp. Interroget Confeſſarius, an aliàs ſuper eo fuerit Confeſſus, & dum affirmat abſolvendus non eſt, quia fructus propoſiti non apparet; maximè quia non poteſt Confeſſarius abſolvere pœnitentem, dum prudenter timet de veritate, & efficacia propoſiti, in caſu enim noſtro debet prudenter timere, quia ſi verùm, & firmum propoſitum haberet pœnitens, mulierem illam depelleret, cum qua experitur peccare; nec cauſa adducta eum poteſt excuſare ad non dimittendum, obſtat enim damnatio propoſ. 61. facta ab Innoc. XI. & urget periculum, quod occaſio. quæ videtur remota, tranſeat in proximam propter circumſtantiam ſimultaneæ cohabitationis, quod eſt à Confeſſario veriſimiliter præſumendum, & proponendum pœnitenti illud vulgatum: mus in pera, ignis in ſinu, ſerpens in gremio male ſuos remunerant hoſpites.

447. Quæritur. An poſſit abſolvi qui exercet artem per ſe licitam, ut negotiationem, mili-

militiam, & ſimiles, quæ eſt illi occaſio peccati, furti nimirum, odii, calumniæ, detractionis, luxuriæ, fraudum perjuriorum &c.?

Reſp. Negativè, nam dum Confeſſarius conſiderat, quod exercens artem, vel officium, propter habitum pravum non ſit peccatum derelicturus, ſed in idem relapſurus, ſi in officio perſeveret, & exercitium non deſerat, nequit prudenter judicare, eum habere firmum propoſitum non peccandi de cætero (quod ad validam, & licitam abſolutionem eſt neceſſarium) ergo non debet, nec poteſt abſolvere antequam pœnitens exercitium deſerat, vel debet abſolutionem differre, quoadusque ipſum experiatur notabiliter emendatum; ex his manifeſtum eſt, quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat etiam cum Medico, & Chirurgo, quibus propria ars eſt occaſio peccati, quatenus in medendis partibus occultis fœminarum experiuntur voluntarias pollutiones, vel delectationes; & cum Sacerdote, qui in audiendis Confeſſionibus Mulierum frequenter experitur eaſdem delectationes, vel pollutiones, quibus omnibus eſt differenda abſolutio, & quando dilatio non proficiat, abſolvendi non ſunt, niſi realiter, & cum effectu propria miniſteria deſerant; quod extenditur etiam ad famulos mulierum pulchrarum, experientes propter familiaritatem cum ipſis frequenter conſentire in delectationes moroſas, prava deſideria, & voluntarias impuritates; idem dicendum de his, qui conducunt domos ad ludendum, & ſubminiſtrant chartas, menſam &c. ludis prohibitis, & de luden-

ti-

tibus, qui blaſphemant, pejerant, omittunt ſacrum, ſubſtentationem familiæ, ſolutionem debitorum, fraudant, divinant per ſomnia; qui abſolvendi non ſunt, niſi ceſſent, ſed opus eſt experimento per aliquot dies.

448. Quæritur. An ſit licitum quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi?

Reſp. Negativè, quia id ab Innoc. XI. cum propoſ. 63. proſcribitur; ratio autem eſſe poteſt, quia quærere directe occaſionem proximam peccandi, eſt velle directe peccandi periculum, velle autem periculum proximum peccandi eſt velle peccatum, nam in moralibus idem eſt, ſe exponere periculo proximo peccandi, ac peccare; peccatum autem nullus poteſt velle, quia eligibile non eſt propter ullum bonum ſive ſpirituale, ſive temporale proprium, vel alterius; cum rectus rerum ordo expoſcat, & recta ratio dictet, ac ordo charitatis exigat, ut bonum ſpirituale animæ propriæ præferatur cuicumque bono temporali proprio, & etiam ſpirituali alterius.

449. Quæritur. An exponens ſe voluntariè occaſioni proximæ peccandi, id aperire debeat in Confeſſione, quando in ea conſtitutus, nec cogitatione, nec opere, aut verbo peccat?

Reſp. Affirmative, ratio eſt, quia exponere ſe voluntarie occaſioni proximæ peccandi, peccatum eſt, cum neceſſe, ſit, quod velit effectum, qui vult cauſam, ad quam ille ſequitur quamvis hic, & nunc per accidens non ſequatur, & propterea

peccat

peccat peccato ejuſdem ſpeciei cum peccato, cujus occaſioni ſe exponit, quod eſt in Confeſſione explicandum; qui enim ſe exponit occaſioni proximæ perdendi fidem, peccat contra fidem, & contra caſtitatem qui ſe exponit occaſioni proximæ violandi caſtitatem, ſive per actum externum fornicationis, pollutionis &c. ſive per internum delectationis moroſæ, & deſiderii impuri, licèt in ea conſtitutus nihil deſideraverit, nil egerit, nec ſibi complacuerit; quod eſt à Confeſſariis valde ponderandum, ut interrogent, maxime perſonas rudes, quæ in rebus venereis ſolent ſolùm ſe accuſare de actu conſumato peccati, quinimmò plures nec de interno ſe accuſant putantes conſenſum non præbere, niſi dum in externum prorumpunt.

OPINIO PROBABILIS.

450. QUæritur. Quid ſit opinio probabilis, quidve probabilior, & quænam tuta, quænamve tutior?

Reſp. Probabilis, eſt aſſenſus, quo intellectus propter alicujus momenti rationem, vel auctoritatem D D. uni parti adhæret, vel judicat eſſe licitum aliquid, vel illicitum, ſed cum formidine de oppoſito; Probabilior verò eſt, quæ pro ſe habet plures, & majoris ponderis rationes, pluriumque, vel graviorum D. D. auctoritatem; rationes ſunt, quæ opinionem ab intrinſeco probabilem reddunt, auctoritates verò ab extinſeco probabilem oſtendunt; tuta autem, & tutior opinio dicitur ex quo aliquo modo, vel ſecurius vitat peccatum.

451. Quæritur. Quid requiratur ad hoc, ut opinio ſit verè probabilis?

Reſp. Requiritur 1. quod ratio, & motivum ſit magni momenti, non ſolùm ſecundùm ſe; ſed etiam comparativè ad argumenta in contrarium, ut ab his non enervetur. 2. ne ſit contra evidentiam ſenſuum, aut aliam demonſtrationem. 3. ne ex ea ſequatur ullum manifeſtè abſurdum. 4. ne ratio, ſeu motivum ſit contra communem ſenſum omnium, qui illam ſententiam examinarunt. 5. ne Eccleſia aliquid in contrarium definierit, quapropter multitudo D. D. priorum veſtigia inſtar ovium ſequentium, nulla rationum diſcuſſione premiſſa, non facit opinionem probabilem, nam ad id opus eſt, ut eam ponderatis rationibus confirment.

452. Quæritur. An detur diſcrimen inter opinionem ſpeculativè probabilem, & probabilem practice?

Reſp. Affirmativè, nam opinio ſpeculativè probabilis eſt illa, quæ affirmat, vel negat aliquid ſecundùm ſe in communi, & in abſtracto eſſe licitum, vel illicitum, præſcindendo à circumſtantiis in particulari, quæ reddunt quaſdam actiones illicitas, quæ moraliter ad praxim redigi non poſſunt; v. g. eſt ſpeculativè probabile, quod non ſit mortale petere ex amore juſtitiæ vindicativæ ab Iudice, ut capite plectat eum, qui filium ſuum proditorie occidit, & tamen eſt practicè improbabile id eſſe licitum petere propter periculum gaudendi de vindicta privata, & quod mors occiſoris placeat; & ſic de ſimilibus; opinio practice probabilis eſt illa, quæ pru-

den-

denter pronuntiat aliquam actionem eſſe licitam, & in praxim poſſe deduci; v. g. eſt practice probabile, quod liceat in Sacramento Pœnitentiæ adhibere attritionem ſupernaturalem, ergo licitum erit juxta hanc opinionem praticè probabilem ſuſcipere Sacramentum (omiſſa contritione tutiore)

453. Quæritur. An detur diſcrimen inter opinionem tutiorem, & probabiliorem?

Reſp. Dari, quis enim ignorat, poſſe opinionem aliquam eſſe præ oppoſita probabiliorem, quamvis ſit minus tuta; aliquam verò minus probabilem, ſed tutiorem? ſic opinio de ſufficientia attritionis in Sacramento Pœnitentiæ eſt probabilior, quamvis tutius ſit contritionem adhibere; & in dubio, num detur obligatio reſtituendi, jejunandi &c. ſemper tutius eſt reſtituere, jejunare &c. quamvis non ſemper ſit probabilius, quod ad id obligemur; ſimiliter in quæſtione illa: an circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſint neceſſariò in Confeſſione aperiendæ, opinio negativa eſt probabilior, quæ fundatur in Tridentino *Seſſ.* 14. *cap.* 1. *can.* 7. quamvis affirmativa ſit tutior.

454. Quæritur. An ſi liber ſit alicuius junioris, & moderni debeat opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem?

Reſp. Negativè, nam eſt falſum, quod auctoritas unius moderni Doctoris reddat opinionem probabilem, & quàm periculoſum hoc ſit in materia morum, non eſt qui non videat, quia cum in moralibus nulla ſit opinio quantumcumque exorbitans, quæ aliquem pro ſe auctorem non habeat, jam

eſſet

eſſet cuique liberum, omnem opinionem in moralibus amplecti, & ex quacumque ſe efformare dictamen ad operandum, quæ ſententia utpote nutritiva peccati ad innumera crimina in moralibus aditum parat; idcirco juremerito ab Alexandro VII. cum propoſ. 27. damnatur.

455. Quæritur. An unuſquiſque præſertim illiteratus ſequi poſſit ſententiam ſui Præceptoris, vel alterius viri pii, ac docti, necnon ruſtici poſſint acquieſcere auctoritati Parochi?

Reſp. Quando diſcipulus, & indoctus invinvibiliter ignorant ſententiam illam, quam Præceptor, aut Parochus, vel alius vir doctus, & pius docent, ſingularem eſſe, & contra communem Doctorum, poſſunt tutè eam ſequi, aliter in oppidis, ubi unus eſt Parochus, nemo poſſet eius conſiliis acquieſcere, ſed deberet quilibet peregrinari ad veritatem indagandam, & ſanè ſicut vir doctus, ac probus poteſt ſequi ſuam opinionem, quando invincibiliter ignorat illam eſſe ſingularem, ita pariter illiterati, & ruſtici poſſunt viri docti, ac pii, ſive Præceptoris, aut Parochi opinionem ſequi, ſi ea invincibili ignorantia laborent; quando tamen advertunt, opinionem eſſe contra communem D. D. eam ſequi non poſſunt, ſed debent veritatem inquirere, ſicut nec poteſt ſequi opinio plurium, quorum doctrina, ac prudentia non magni fiat, quoties multitudo D. D. militet ex adverſo.

456. Quæritur. An aliquando admitti poſſit ut probabilis, non ſolùm plurium, ſed etiam unius auctoris opinio, etiamſi ad-

adverſus communem aliorum ſentiat?

Reſp. Affirmativè, quoties auctor eſt omni exceptione major, id eſt valde peritus, tum juris naturalis, tum etiam poſitivi, qui firmis, ac validis rationibus conſueverit concluſiones ſuas fundare, qui veritatis potius quam novitatis cenſeatur amator, ac demum qui aliorum fundamenta plenè diſcuſserit, & dejecerit, adeò ut prudenter credi poſſit, alios etiam doctiſſimos eidem opinioni ſubſcripturos; hinc fit, poſſe aliquem conſulere plures viros doctos, donec inveniat aliquem, cujus conſiliis acquieſcere poſſit, quia unicuique licitum eſt uti jure ſuo; notandum tamen, quod in rebus ad Theologiam moralem ſpectantibus non ſatis eſt conſulere Theologum ſcholaſticum magnæ auctoritatis, ſi in morali Theologia, ut accidit non rarò ſit parum verſatus plurimi enim pollent ingenio, non tamen judicio prudentiali, & ideò in ſcholaſtica eminent, in morali verò claudicant.

457. Quæritur. Quanta debeat eſse auctoritas extrinſeca unius partis præ altera, ut ab hac non dicatur illa infringi, ac enervari, in ordine ad reddendam opinionem probabilem?

Reſp. Varii varia docent, ſed ex eorum doctrinis colligitur, non poſse indoctos ferre judicium ſanum de probabilitate extrinſeca alicujus opinionis, ſed requiri doctrinam ad diſcernendum in multitudine, vel paucitate D. D. pondus auctoritatis, & pondus rationum: hæc tamen regula videtur poſse dari, videlicet; ſi opinio ſit unius, vel paucorum non paucis ab hinc annis in lu-

lucem edita, & contra illam ſtet ſenſus communis, non eſt dicenda probabilis, nam ſi valide fundaretur, habuiſset aſseclas, cum autem non habuerit, à poſteriori, ſignum eſt, eam ſolido fundamento deſtitui; ſi verò ſit unius Doctoris moderni, aut paucorum, & contra illam ſtet ſenſus communis, tunc, ut poſſit dici probabilis, diſcutiendum eſt, an concurrant omnes illæ circumſtantiæ in quæſt. præcedenti enumeratæ.

458. Quæritur. An liceat ſequi opinionem, vel inter probabiles probaliſſimam?

Reſp. Schola Tutioriſtarum, & Rigoriſtarum ita textus, & canones Sacros, ac SS. Patres, adhortantes ad æmulandum chariſmata meliora, interpretatur, ut velit non eſse opus conſilii, ſed præcepti, via tutiſſima incedere, proinde decet, nunquam licere ſequi opinionem libertati faventem adverſus aliquam legem, tametſi ea probabiliſſima, & recepta communiter cenſeatur, quod eſt, onus Chriſti leve, & jugum ſuave reddere intolerabile, cum ſuperet vires humanas aſsequi ſemper quod eſt tutius, atque adeò quod eſt perfectius; idcirco ipſorum opinio ab Alexandro VIII. cum propoſ. 3: damnatur; ratio eſt, quia probabiliſſima ſententia dicitur illa, quæ validiſſimo fundamento nititur, habetque pro ſe ſuffragium plurimorum ſapientium, ergo non poteſt practice errare, qui ſequitur Spiritus Sancti conſilium, atque adeò dictamen rationis, cum ſcriptum ſit *Eccl. 6. in multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ eorum ex corde conjunge.*

459.

459. Quæritur. An ſit licitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore?

Reſp. Nonnulli docent, in collatione Sacramentorum licitum eſſe univerſim uſum opinionis probabilis, relicta tutiore, niſi forte lex aliqua, aut conventio, aut periculum gravis damni aliud poſtulet, ut proinde id non liceat in collatione Baptiſmi; ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis; quia incertitudo, & dubietas de valore Baptiſmi obſtat ſaluti animæ, dubietas de valore ordinis Sacerdotalis obſtat validitati conſecrationum, & abſolutionum, & dubietas ordinis Epiſcopalis obſtat validitati ordinis ſacri per Epiſcopum conferendi; ſed errant, dum in conferendis cæteris Sacramentis admittunt, fas eſſe in concurſu opinionis tutioris de validitate Sacramenti uti minus tuta, & probabili; quorum ſententia tanquam falſa probabilitatem amiſit, ut manifeſte conſtat ex propoſ. 1. inter damnatas ab Innoc. XI. nam certe quamvis inde nullum damnum tertio oriretur, irreverentia gravis Sacramento eſſet inevitabilis propter periculum nullitatis, & fruſtrationis, cui exponeretur; propterea tenendum eſt tanquam certum, id eſſe abſolutè, & in quolibet Sacramento illicitum, & peccare mortaliter, qui adminiſtrat quodlibet Sacramentum, utendo opinione probabili: omiſſa tutiore, tum contra charitatem, & miſericordiam, exponendo pœnitentem periculo carendi gratia Sacramentali, qua indiget, tum etiam contra virtutem Religionis, ſeu contra reverentiam Sacramen-

tis debitam, exponendo ea periculo fruſtrationis.

460. Quæritur. An ſicut eſt illicitum in Sacramentis conferendis uti opinione probabili, relicta tutiore, id ſit etiam illicitum in Sacramentis ſuſcipiendis?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia etiam ex hoc capite illicitum eſt in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem minus tutam, quia exponitur periculo fruſtrationis Sacramentum, & idcirco ſic adminiſtrans Sacramenta non ſolùm peccat contra charitatem, ſed etiam contra Religionem, ſeu contra reverentiam Sacramentis debitam, atqui eodem modo exponitur periculo fruſtrationis Sacramentum, ſi adhibeatur materia, vel forma minus tuta in conferendis, quàm ſi adhibeatur in ſuſcipiendis Sacramentis; ergo utrumque eſt illicitum; unde oppoſita ſententia implicite videtur etiam damnari in decreto Inn. XI.

461. Quæritur. An ſicut eſt illicitum tam in conferendis, quàm in ſuſcipiendis Sacramentis uti opinione probabili minus tuta, ſit etiam illicitum uti opinione probabiliſſima, ſeu moraliter certa, omiſſa tutiore?

Reſp. Eſſe licitum uti opinione probabiliſſima, omiſſa tutiore, ut conſtat, tum ex propoſ. 3. inter damnatas ab Alex. VIII. quæ negat univerſim licere ſequi opinionem probabiliſſimam, tum etiam quia illi non ſubeſt incertitudo moralis, nec prudens formido; & ſane non major certitudo requiritur in conferendis, & ſuſcipiendis Sacramentis, quàm in procuranda noſtra ſalute, ſed ad hanc ſufficit certitudo moralis;

lis; aliter qui in articulo mortis poſuit actum contritionis deberet iterum, iterumque conari ad novos, & intenſiores eliciendos, ut majorem haberet certitudinem; unde non eſſet verum, quod dicitur. 1. *Joan.* 5. *Mandata ejus gravia non ſunt*; ergo etiam certitudo moralis ſufficit in Sacramentis adminiſtrandis, & ſuſcipiendis.

462. Advertendum tamen primo, quod ſicut poteſt aliqua opinio eſſe de ſe tenuis probabilitatis, mihi tamen apparere invincibiliter ſolidè probabilis, in quo caſu non pecco illam deducendo in praxim, ita viceverſa ſententia de ſufficientia attritionis in Sacramento Pœnitentiæ eſt de ſe tuta; & tamen mihi apparere poteſt ſolùm probabilis, in quo caſu certe non liceret mihi illam adhibere, cùm non liceat juxta dicta tam in Sacramentis conferendis, quàm in ſuſcipiendis ſequi opinionem de eorum valore minus tutam.

463. Advertendum 2. quod poterit aliqua opinio eſſe de ſe probabiliſſima, ſeu moraliter certa, & ſimul alicui apparere dumtaxat probabilis ſpeculative, & non practice, in quo caſu illicitum erit, quamvis per accidens, ſequi hujuſmodi opinionem de ſe probabiliſſimam, aut certam moraliter.

465. Quæritur. An in Confeſſione venialium requiratur dolor efficax, ſicut requiritur in Confeſſione mortalium?

Reſp. Nonnulli docuerunt, ſufficere poſſe dolorem inefficacem, & virtualem incluſum in ipſa voluntate recipiendi Sacramentum, ejuſque effectum, ſed eorum opinio tanquam falſa damnationi ſubjacet;

ratio

ratio eſt, quia ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ requiritur tanquam pars eſſentialis dolor formalis, & efficax, ſed in confeſſione venialium datur verum Sacramentum, ergo requiritur dolor formalis efficax, & ſupernaturalis; quare qui ſine eo dolore confiteretur venialia advertenter, peccaret mortaliter, quia faceret Sacramentum voluntarie nullum; & quamvis nemo teneatur confiteri peccata venialia, aut mortalia aliàs ritè confeſſa, poſito tamen quod illa velit confiteri, & facere materiam totalem Confeſſioni, tenetur accedere cum eo dolore vel omnium venialium, vel aliquorum, aut ſaltem unius cum vero emendationis propoſito.

465. Quæritur. An ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficiat dolor, etiamſi per longiſſimum tempus præceſſerit Confeſſionem, dummodo non ſit retractatus?

Reſp. Negativè, quamvis enim non ſit neceſſaria coexiſtentia phyſica, ita quod dolor phyſice exiſtat in ipſo puncto Confeſſionis, neceſſaria tamen eſt coexiſtentia & ſimultas moralis, ſcilicet quod moraliter, ac virtualiter permaneat, & exiſtat; ut ſi quis manè doleat, & actu non revocato poſt tres, vel quatuor horas confiteatur ſine novo doloris actu, vel ſi quis veſpere examinans conſcientiam eliciat actum doloris, & ſequenti die confiteatur; rurſus ſi non ſolùm præcedenti veſpere, ſed etiam præcedenti die id fecerit, ita ut dolor non revocatus uno, vel altero die ſolùm confeſſionem præceſſerit, licite operatur, & abunde eſt, & licet nonnulli extendant probabiliter ad quatuor,

L vel

vel quinque dies, alii ad longiſſimum tempus, eorum tamen opiniones, ut minus tutæ illicite in praxim deducuntur; curent autem Confeſſarii, ut pœnitentes in actu Sacramentalis Confeſſionis dolorem renovent, adjuvando ignorantes, ac ruſticos, ut ad dolorem ſupernaturalem excitentur, cum id breviſſimo tempore fieri poſſit, nam ob Confeſſariorum incuriam innumerabiles fideles vel ſacrilegè, aut ſine fructu ſacramentum ſuſcipiunt.

466. Quæritur. An pœnitens, qui in Confeſſione obliviſcitur alicujus peccati mortalis, & paulo poſt redit ad ſubiiciendum illud clavibus, teneatur novum doloris actum elicere?

Reſp. Non tenetur, dommodo in prima Confeſſione habuerit dolorem univerſalem de omnibus peccatis, quia moraliter, & virtualiter perſeverat prior ille dolor, qui ſicut extendebatur ad peccata etiam oblita, ita poteſt inſervire pro nova Confeſſione peccatorum oblitorum; ſi vero habuiſſet ſolum dolorem particularem de aliis peccatis confeſſis, non autem de illo oblito, deberet utique novum dolorem elicere, ſicut etiam deberet novum elicere, ſi interim aliud mortale commiſiſſet.

467. Quæritur. An ſufficiat unus actus doloris pro diſtinctis Confeſſionibus, non ſolum quando exponuntur peccata diverſa, ſed etiam quando ſtatim iteratur confeſſio de eiſdem peccatis?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia debet eſſe nova, & diſtincta materia pro nova forma, & nova ſubſtantia Sacramenti, quæ materia proxima in Sacramento Pœniten-

nitentiæ eſt dolor ſupernaturalis, & Confeſſio, quare ſicut dari non poteſt nova abſolutio, niſi adſit nova Confeſſio, ita etiam niſi adſit novus dolor; idcirco ſententia oppoſita repugnat decreto Pontificio.

468. Quæritur. An dolor requiſitus ad Sacramentum Pœnitentiæ debeat Confeſſionem præcedere, vel ſufficiat, ſi illam ſubſequatur, dummodo abſolutionem præcedat?

Reſp. Ad valorem Sacramenti non requiritur neceſſariò, quod dolor Confeſſionem præcedat, ſed ſufficit ſi illam ſequatur, dummodo abſolutionem præcedat, & hæc opinio non eſt damnationi ſubjecta, cum non ſolùm ſit probabils, ſed etiam moraliter certa, atque adeo tuta in praxi, ratio eſt, tum quia ſic ſumitur ex communi ſenſu fidelium tam pœnitentum, quàm Confeſſariorum, qui peracta Confeſſione peccatorum ſolent excitari ad dolorem, nam frequenter contingere poteſt, quod multi, qui ante accuſationem conantur elicere actum doloris ſupernaturalis, non eliciant niſi naturalem, aut non ſufficientem ad valorem Sacramenti, vel ob ignorantiam, ſeu ob cordis duritiem, poſtea tamen Confeſſarii opera concipiant dolorem requiſitum ad recipiendam abſolutionem cum fructu, facienti enim quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam ſuam; tum etiam quia dolor etiam ſubſequens per Confeſſionem præcedentem ſenſibilis redditur, qui enim cofitetur in ordine ad abſolutionem obtinendam, ſignificat ſe velle ponere omnia requiſita ex parte ſui ad Sacramentum, ergo cum ad Sacramentum requiratur dolor ante abſolutionem, dum pœ-

nitens confitetur, ſignificat ſe habuiſſe; vel habere, aut habiturum dolorem immeditè ante abſolutionem, & ſic dolor ſubſequens fit ſenſibilis per Confeſſionem antecedentem, quæ dici non poteſt ſimplex narratio hiſtorica, ſed vera accuſatio peccati, ſeu narratio judiciaria, hoc eſt, facta Confeſſario judici, aut cum intentione illa ordinandi ad Sacramentum, & abſolutionem obtinendam, quo caſu continet implicite propoſitum conterendi, atque adeo ſufficienter dicitur doloroſa connotative per dolorem, quem connotat.

469. Quæritur. An ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ ſufficiat dolere, quod non doleas, ſeu dolor non habiti doloris?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia tam ad valorem, quàm ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ diſplicentia, & dolor debet eſſe de ipſis peccatis, non de negatione doloris, ſiquidem accuſatio Sacramentalis, cum ſit de ipſis peccatis, involuere debet diſplicentiam, & dolorem eorumdem peccatorum: Addo tamen pro praxi, in timoratis conſcientiis; quæque nullum actualem affectum ad peccatum habent, optare ſe dolere, vel dolere quod non doleant, ſatis eſſe, quia ejuſmodi affectus eſt ſignum veri doloris.

470. Quæritur. An ſufficiat dolor virtualis. & implicitus incluſus in voluntate ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, aut in actu amoris Dei ſuper omnia?

Reſp. Non ſufficit, ratio eſt, quia dolor, & deteſtatio peccatorum eſt pars materialis pœnitentiæ, ut habetur ex Trid. & ſic non poteſt ſufficere dolor ſolum virtua-

lis

ſis incluſus in actu amoris Dei (licèt iſte poſſit eſſe ſufficiens diſpoſitio ad conſequendam gratiam extra Sacramentum) ſed requiritur dolor formalis , & expreſſus ; & inde non recipit Sacramentum Pœnitentiæ , qui ad illud accedit cum ſolo actu amoris, ſeu dilectionis ſine dolore formali , quia non exhibet materiam inſtitutam à Chriſto Domino, & requiſitam à Conciliis ; idcirco ſententia docens , actum amoris Dei ſolum eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad hoc Sacramentum , ut minus tuta damnata eſt; poterit tamen excuſari à peccato, qui bona fide acceſſit ad Confeſſionem cum ſolo eo actu amoris, quia implicat habere actum amoris Dei formalem & graviter peccare.

471. Quæritur. An dolor de peccatis requiſitus ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ debeat eſſe intenſivus?

Reſp. Quod ad dolorem de peccatis non requiritur ulla intenſio, teneritudo cordis, lacrimæ, vel duratio temporis , nam ſufficit dolor ſummus appretiativè, id eſt, ut nihil magis deteſteris, quàm peccatum, maliſque omnia mala hujus mundi perpeti , quàm mortaliter contra Deum peccare; nec opus eſt, immo nec expedit particulares facere collationes , v. g. mallem hoc , vel illud malum , aut mortem ſubire , quam mortaliter peccare , quia periculoſæ ſunt.

472. Quæritur. An ſicut illicitus eſt uſus opinionis probabilis minus tutæ, ſi ſpectet ad valorem, ſeu ad materiam proximam, & formam Sacramenti, ſit etiam illicitus, ſi ſpectet ad materiam remotam?

 Reſp.

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia tunc non exponitur periculo fruſtrationis Sacramentum, atque adeo neque contra Religionem, neque contra charitatem peccatur; hinc licitè Pœnitens accommodat ſe opinioni probabili minus tutæ, quod non detur obligatio aperiendi in Confeſſione, aut circumſtantias merè aggravantes, quæ non mutant ſpeciem peccati, aut non aggravantes in infinitum, id eſt, quæ de veniali non faciunt mortale, aut peccati complicem, quando aliter circumſtantia mutans ſpeciem explicari non poteſt, & alia id generis; hujuſmodi enim opiniones probabiles, ſi revera eſſent falſæ, non redderent irritum Sacramentum, ſicut opiniones probabiles, quæ ſpectant ad materiam proximam, & formam illius.

473. Quæritur. An dari poſſit Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris ſupernaturalis?

Reſp. Negative, ratio eſt, quia non ſolum ad effectum, ſed etiam ad valorem Confeſſionis requiritur verus dolor formalis, & ſupernaturalis, quin ſufficiat naturalis, aut putatus ſupernaturalis; ſiquidem dolor de peccatis non ſolum ut diſpoſitio, ſed etiam ut eſt pars Sacramenti debet eſſe donum Spiritus Sancti, ut docet Tridentinum.

474. Quæritur. An poſſit admitti ex defectu doloris univerſalis, & extenſivi, quando ſcilicet habens v. g. duo peccata furti, & Sacrilegii, de furto dolet ex motivo turpitudinis ſuæ ſpecialis, & nullatenus dolet de ſacrilegio, aut quia illius invincibiliter eſt oblitus, vel quia non ad-

vertit

vertit ad obligationem dolendi de illo?

Reſp. Probabiliſſimum eſt, ex hoc capite admitti poſſe Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, ratio eſt; quia ad eſſentiam hujus Sacramenti non requiritur dolor ita extenſivus, & univerſalis, ſicut requiritur ad effectum gratiæ conſequendum, qui enim dolet de peccato confeſſo ex motivo particulari non accipit effectum Sacramenti, ſi forte habeat aliud peccatum inculpabiliter oblitum non retractatum, & tamen habet omnes partes eſſentiales requiſitas ad eſſentiam Sacramenti; habet enim Confeſſionem peccati memoriæ occurrentis, habet illius dolorem ſupernaturalem, & habet abſolutionem, ergo habet omnes partes eſſentiales conſtitutivas Sacramenti, quamvis non recipiat gratiam propter impedimentum occultum, & ſic recipit Sacramentum validum, & informe; nec erit neceſſe talem confeſſionem repetere, cognito errore, ſed ſufficiet in ſequenti Sacramento confiteri peccatum oblitum invincibiliter, vel non deteſtatum in priore Confeſſione inadvertenter.

475. Quæritur. An defectu examinis, & integritatis Confeſſionis admitti poſſit Sacramentum validum, & informe?

Reſp. Non poſſe admitti, ratio eſt, quia ſi defectus ille integritatis, & examinis fuit mortaliter culpabili, confeſſio illa non ſolùm fuit informis, & effectu vacua, ſed etiam invalida, peccaminoſa, & ex toto repetenda, cum ad illam pœnitens indigne accedat ex defectu diligentiæ requiſitæ ad ſui diſcuſſionem: non poteſt Confeſſio eſſe valida, quæ eſt in ipſomet

actu peccaminoſa, & ſacrilega; ſi defectus fuit inculpabilis, Confeſſio erit valida, & formata, id eſt, cum effectu gratiæ, ſi non deficiant alia requiſita ex parte doloris neceſſarii, & propoſiti non peccandi in futurum.

476. Quæritur. An ad validam abſolutionem requiratur in Pœnitente propoſitum formale, & expreſſum non peccandi de cætero, an vero ſufficiat virtuale, & implicitum?

Reſp. Formale, & explicitum optimum eſt; hinc recte agunt Confeſſarii exigendo illud à Pœnitentibus, & quatenus renuant expreſsè proponere emendationem, & peccata vitare, abſolvi non poſſunt; verùm per ſe, & neceſſariò non requiritur expreſſum, ſed ſufficit virtuale, & implicitum, quod virtualiter continetur in vera deteſtatione, & dolore peccatorum ex motivo ſupernaturali, & univerſali, ut colligitur ex Trident. *Seſſ.* 14. *capit.* 4. ſic qui dolet de peccatis ad effectum juſtificationis, & non cogitat actu propter inadvertentiam de emendatione vitæ, cenſetur virtualiter, & implicite proponere peccata vitare, & emendare vitam, quod expreſſe proponeret, ſi ad id reflecteret aliàs non vere, & ex animo doleret de peccatis commiſſis; cum impoſſibile ſit, ut ſi quis ſincero animo deleat efficaciter de peccatis, ut ſunt offenſa Dei, quin implicitum ſaltem habeat non peccandi propoſitum; nam aliàs ſimul vellet, & nollett offenſam gravem Dei, quæ ſunt contradictoria.

477. Quæritur. An Confeſſarrius poſſit licite conferre abſolutionem cum juriſdictio-

ctione ſolùm probabili, omiſſa probabiliori?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia quando opinio vere probabilis verſatur circa juriſdictionem, ſi hæc forte deſit, certum moraliter eſt, illam ab Eccleſia parente pientiſſima ſuppleri, atque adeo Sacramentum non exponitur periculo fruſtrationis, ſicut exponitur proculdubio, quando opinio probabilis verſatur circa materiam proximam, & formam Sacramenti, nam tunc incertum eſt, an Sacramentum conferatur, cum de ratione opinionis ſit incertitudo: ſimiliter valida eſt abſolutio collata à Confeſſario, qui communiter reputatur habere juriſdictionem, quam à parte rei non habet, dummodo habeat titulum à legitimo ſuperiore collatum, utrumque enim requiritur, & error communis, titulus coloratus; hoc eſt, quod ab Ordinario Parochiam, vel juriſdictionem obtinuerit, adeo ut ab omnibus pro Parocho, & Confeſſario habeatur, quamvis propter aliquod impedimentum occultum titulus invalidus ſit, ut quia eſt ſuſpenſus, quo caſu certum eſt, valere abſolutionem, quia Eccleſia ſupplet juriſdictionem.

378. Quæritur. An liceat matrimonium contrahere, atque adeo Sacramentum conficere ſimul, & ſuſcipere cum ſola opinione probabili, & non moraliter certa, quod nullum ſubſit impedimentum dirimens, aut quod præceſſerit ſuper impedimento dirimente ſufficiens diſpenſatio?

Reſp. Si probabilitas ſit circa factum, hoc eſt, ſi probabile ſit adeſſe hujuſmodi impedimentum, aut non adeſſe diſpenſationem, id non licere, ratio eſt, quia

in cap. Inquiſitioni de ſent. excom. dicitur, quod habens probabilitatem de impedimento dirimente conſanguinitatis, vel affinitatis non poſſit debitum petere, quamvis teneatur reddere; ergo ſignum eſt, Eccleſiam non habere hujuſmodi matrimonium pro indubitanter valido, atque adeò ſi cum tali probabilitate illud contrahatur, exponitur periculo fruſtrationis, quod eſt illicitum; ſi vero probabilitas ſit circa jus, hoc eſt, quando probabiliter utrinque D.D. cenſent, aliquod eſſe, vel non eſſe impedimentum, aut diſpenſationem eſſe, vel non eſſe validam, id licere, ratio eſt, quia quando utrinque habentur hujuſmodi opiniones probabiles, conſuetudo, & praxis Eccleſiæ fert, quod Matrimonium ſic contractum cenſeatur validum, atque adeo Eccleſia vult Matrimonium non dirimi ab impedimento, quod probabiliter non eſt impedimentum, aut quando diſpenſatio probabiliter eſt valida, unde non exponitur periculo fruſtrationis hoc Sacramentum, ſi cum tali probabilitate Matrimonium contrahatur.

479. Ex dictis ſequitur 1. poſſe licitè Matrimonium contrahi cum diſpenſatione in impedimento dirimente facta ab Epiſcopo in caſu urgentis neceſſitatis, cum probabile ſit, poſſe Epiſcopum in tali caſu diſpenſare; Sequitur 2. Matrimonium invalidum poſſe revalidari ſine Parocho, & Teſtibus juxta probabilem opinionem; Sequitur 3. poſſe revalidari Matrimonium invalidum, etiam ſi alter Conjux ſit ignarus nullitatis, quando ex revelatione nullitatis grave ſcandalum timeretur, ut plurimi

rimi docent; Sequitur 4. poſſe licite Matrimonium contrahi inter Patrinum, & Matrem Baptizati, quando Baptiſmus collatus eſt ſine ſolemnitatibus in neceſſitate ob periculum vitæ Infantis, cum probabiliter in tali caſu impedimentum dirimens Cognationis Spiritualis non contrahatur; & ratio dictorum eſt, quia hujuſmodi opiniones probabiles ſunt circa jus, unde non exponitur periculo fruſtrationis Sacramentum Matrimonii juxta eas celebrati, relictis tutioribus, ſicut exponitur dicto periculo Matrimonium celebratum cum ea probabilitate circa factum, quæ facilè deprehendi poteſt falſa.

480. Quæritur. An in conferendis, vel ſuſcipiendis Sacramentis detur parvitas materiæ, ſic, ut quis validè ipſa conficiat, vel ſuſcipiat, etiam ſi aliquod minimum ad ipſorum valorem requiſitum prætermittat?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia Sacramentum, formaliter loquendo, in indiviſibili conſiſtit, & ideò quocumque minimo prætermiſſo de requiſitis ad valorem, & eſſentiam, Sacramentum eſt nullum, & non ſubſiſtit, ſicut non ſubſiſtit homo, ſi omnia ad eſſentiam ipſius requiſita non ponantur.

481. Quæritur. An generatim dum probabilitate ſivè intrinſeca, ſivè extrinſeca, quamtumvis tenui, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agamus?

Reſp. Negativè, juxta Decretum Innoc. XI. damnantis propoſ. 3. quia de ratione opinionis probabilis eſt, quod nitatur fundamento gravi, tum abſolutè, tum comparative ad motiva in contrarium, ſivè fun-

damentum hoc grave ſit ab intrinſeco, ſive ab extrinſeca D. D. authoritate, adeo ut ſpectatis omnibus experiatur intellectus vi quadam inclinari; ac quodammodo rapi ad aſſenſum liberè cum facultate ad reſiſtendum; quoties autem probabilitas opinionis eſt tenuis, & exigua, non poteſt intellectus experiri vim illam, qua ad aſſenſum validè inclinetur, ergo opinio tunc non nititur fundamento gravi, nec eſt ſolidè probabilis, propterea qui nixus fundamento levi pariente veriſimilitudinem aliquam, & tenuem, ac apparentem probabilitatem, non poteſt dici, quod prudenter aſſentiatur, ſed potius temerè, ac leviter juxta illud *Eccl* 19. *qui citò credit levis eſt corde*.

482. Ex dictis infertur, univerſim in humanis actionibus licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, omiſſa probabiliori, dummodo ea ſit veræ, ac ſolidæ probabilitatis, nec detur certa lex obligans ad probabiliorem, prout datur v. g. in adminiſtrandis Sacramentis, & ſicut Judex in judicando tenetur ſequi opinionem probabiliorem, & Medicus adhibere pharmacum probabilius curativum, & hac de cauſa non poteſt ab infidelitate excuſari infidelis non credens dictus opinione minus probabili, ut conſtat ex propoſ. 1 2. & 4. inter damnatas ab Innoc. XI. Ratio cur liceat univerſim ſequi opinionem probabilem, omiſſa probabiliori, eſt, quia ſententia iſta eſt probabiliſſima ſolidiſſimè fundata, ac ferè omnium contra paucos; tum quia ſequens opinionem probabilem in conflictu probabilioris prudenter operatur, cum omnis opinio verè probabilis apta nata ſit inducere prudentem aſſenſum, nec ex-

exponitur periculo peccandi formaliter, ſed ſolùm materialiter, quia nemo tenetur ponere quod eſt tutius, ac perfectius; ſi enim in moralibus ad id Deus nos obligaſſet, onus eſſet intollerabile, ac multis ſcrupulis expoſitum, cum moraliter impoſſibile ſit ſemper inveſtigare majorem probabilitatem opinionis, & nimis arduum ſemper ad tutiora obligari.

483. Opiniones igitur, quæ probabiliſſime juxta communem D. D. ſenſum cum ſcripturis, & SS. Patribus concordant, poſſunt licitè in praxim deduci, etiamſi non ſint tutiſſimæ, ita quæ probabiliter dumtaxat juxta gravium D. D. ſenſum ex Scripturæ, & SS. Patrum doctrina deſcendunt, licitè etiam poſſunt in praxim deduci, dummodo uterque Scopulus declinetur, & nimię benignitatis, quæ vergit ad exercendam laxitatem, & nimii rigoris, qui vergit ad exercendum tutioriſmum: ex utroque enim Scopulo naufragium imminet animarum; uterque autem non aliter declinabitur, niſi manibus continuè terendo Authores Claſſicos, qui quæſtiones ad Conſcientiam pertinentes accuratè pertractant, prout loquitur D. Carolus Borromæus *in libro edito de ratione confitentes ritè audiendi*, quod pariter monet S Franciſcus Saleſius in opuſculo, qui inſcribitur: *Admonitio ad Confeſſarios*; Vocanturque Auctores Claſſici, qui ſunt valdè docti, ac pii, valdeque periti, tum juris naturalis; tum poſitivi, qui firmis, ac validis rationibus conſueverint Concluſiones fundare, diſcutiendo, ac dejiciendo partis adverſæ fundamenta, qui veritatis potius, quàm novitatis cenſeantur amatores, nec de facili hallucinentur.

484. Quæritur. An opinio probabiliter tantùm probabilis dicenda ſit tenuis probabilitatis, adeout non liceat juxta eam operari.

Reſp. Opinionem probabiliter tantùm, & non certò probabilem carere ſolida probabilitate, atque adeo eſſe inſufficientem ad prudenter operandum, ratio eſt, quia ad probabilitatem requiritur fundamentum, ſpectatis omnibus, gravè, ac firmum, quando autem de firmitate fundamenti non habetur certitudo, ſed probabilitas, tunc fundamentum videtur, experientiâ teſte, nutare, atque adeo non eſſe firmum; & ſane opinio probabilis licèt patiatur obſcuritatem, incertitudinem, ac formidinem de oppoſito, non tamen compatitur dubietatem, dubietas enim impedit aſſenſum prudentem, qui à formidine opinionis non impeditur, atqui quando de probabilitate opinionis habetur ſolùm probabilitas, & formido, tunc, experiêntia teſte, videtur hujuſmodi formido de probabilitate declinare in dubietatem de veritate objecti, & intellectus prudenter ſuſpendit potius, quam ponit aſſenſum circa illam; ergo opinio probabiliter tantùm probabilis non eſt dicenda abſolutè probabilis, ſed tenuiter probabilis.

485. Quæritur. An ſaltem in caſu neceſſitatis urgentis poſſimus ſequi opinionem tenuiter probabilem?

Reſp. Nullatenus eſt admittendus uſus opinionis tenuiter probabilis in ſenſu compoſito, quod retineat tenuem probabilitatem, eo quod tunc nitatur fundamento non gravi; Verum quidem eſt, quod in caſu

neceſ-

neceſſitatis poſſit Infans Baptizari in digito, ſicut poteſt Baptizari cum Aqua roſacea, deficiente aqua pluviali, quia neceſſitas facit, quod poſſit ſub conditione Baptiſmus conferri, quod non ſolùm eſt certò probabile, ſed peccaret qui nollet hoc pacto puerum baptizare, unde non habetur in hoc caſu tenuis probabilitas, quia ipſa neceſſitas reddit abſolutè probabile; quod ſecluſa ea circumſtantia parum haberet probabilitatis; & ita cogita de ſimilibus.

ORDO.

486. QUæritur. An ſit damnata ſententia docens, in Ordine Sacro non requiri tactum phyſicum materiæ remotæ Sacramenti, ſed ſufficere tactum moralem?

Reſp. Eſſe ſubjectam damnationi propoſ. 1. inter proſcriptas ab Innoc. XI. Ratio eſt, quia eſt opinio minus tuta circa valorem Sacramenti, nam ſi coram Deo vera eſt ſententia affirmans requiri contactum phyſicum, Sacramentum fruſtratur ſi ſolùm adhibeatur moralis; ſi autem adhibeatur phyſicus, nihil fit contra valorem Sacramenti.

487. Quæritur. An damnationi ſubjaceat opinio docens, eſſe licitum ordinari Diaconum, vel cum ſola impoſitione manuum, vel cum ſola traditione Libri Evangeliorum?

Reſp. Subjacere, ratio eſt, quia tutius eſt pro valore Sacramenti utrumque præſtare, nam ſi alterum deficiat, fortaſsè Sacramentum erit nullum.

488. Quæritur. An circa materiam Ordinationis Subdiaconi ſit aliqua opinio damnationi ſubjecta?

Reſp. Negativè, Ratio eſt, quia licèt aliqui dixerint, materiam Subdiaconatus eſſe traditionem Libri Epiſtolarum, hæc tamen opinio ab omnibus rejicitur; quare omnino tenenda eſt tanquam tutiſſima ſententia docens, materiam Subdiaconatus eſſe traditionem Calicis vacui cum Patena vacua.

OSCULUM.

489. QUæritur. An ſit probabilis opinio aſſerens, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſualem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis?

Reſp. Eam opinionem eſſe falſam, & expreſsè damnatam ab Alex. VII. cum propoſ. 40. & ante illius damnationem Clemens VIII. & Paulus V. juſſerant Inquiſitoribus fidei denunciari aſſerentes, in oſculis ob meram delectationem veneream habitis non contineri culpam mortalem; ratio eſt, quia delectatio, ſeu complacentia deliberata de objecto mortali; puta de homicidio, de furto, & ſimilibus ſemper eſt mortalis, atqui oſculum, cui annectitur delectatio venerea, fert complacentiam deliberatam de objecto mortali, nempè de fornicatione, ad quam talis delectatio natura ſua ordinatur, ergo hujuſmodi oſculum mortalem culpam continet, etiam ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis; idem dicendum de amplexibus, tactibus, verbis obſcænis, amatoriis,

&

& aſpectibus erga objecta proximè ad eam delectationem inducentia, in qua non datur materiæ parvitas.

490. Quæritur. An illæ actiones, quæ proximè ad delectationem ſenſualem, immò etiam ad conſpurcationem, & immunditiam inducunt, poſſint licitè poni data ſufficienti cauſa honeſta?

Reſp. Affirmative ſi fiant ſecluſo periculo conſenſus, ſic Chirurgus poteſt mederi etiam pudenda Mulieris, ſi aliter ea curari non poſſit; at ſecluſa cauſa ſufficienti, & gravi juxta gravitatem periculi, cui quis ſe exponit, poni nequeunt actiones, quæ proximè inducunt ad eas delectationes, etiam ſi Homo proponat iis non conſentire, propterea nequit Homo converſationibus, comœdiis &c. intereſſe, quæ maximè provocant ad delectationes carnales, nam qui amat periculum, in illo peribit.

491. Quæritur. An oſcula, tactus, & amplexus Fratris cum Sorore, vel quæ fiunt more patrio in ſignum benevolentiæ, amicitiæ honeſtæ, vel Urbanitatis, etiamſi ad delectationem carnalem inducant, ceſſante periculo conſentiendi, culpam contineant?

Reſp. Negativè, eo quod à fine honeſto cohoneſtentur, & in his non ſit turpitudo, ſed caſtus amor; quod ſi motus ſenſualitatis, & delectatio venerea inſurgat, ſufficit quod reprimatur, & nullus ei conſenſus præſtetur (perſonis verò Eccleſiaſticis, maximè Religioſis eſt valde indecens) idemque dicas de omnibus actionibus utilibus, in quibus prævidetur pollutio ſecutura citra periculum conſenſus, ut ſunt ſæpè curatio vulnerum in partibus pudendis, auditio Confeſ-

ſio-

ſionum, ſtudium de rebus turpibus cauſa docendi, allocutio cum Fœminis cauſa pietatis, vel urbanitatis, & ſimiles, in quibus venerei ſpiritus commoveri ſolent; quia omnes prædictæ actiones de ſe non ſunt intrinceſcè malæ.

492. Quæritur. An Puella ſine peccato poſſit habere amatorem, & ſinere ſe ab illo videri, & cum illo diſcurrere.

Reſp. Affirmant plures, quando id fit ſine ſcandalo, & ad finem nubendi, ad quem poſſunt parentes concedere, maximè ſi ſint paris conditionis; verùm tutior eſt ſententia oppoſita, ne in ſe, vel in parte permittat delectationes carnales; difficile enim eſt, quod quis, videns quem diligit, & cum ipſo diſcurrit, non commoveatur; quod ſi peccatum ullum grave; neque periculum, vel ſcandalum adſint inter iſtos amatores, non videntur eſſe illiciti eorum aſpectus, ac diſcurſus, ſed magna prudentia opus eſt in Confeſſario ad rectè examinandum, & diſtinguendum, ne errent in materia tam periculoſa.

493. Quæritur. An Sponſis de futuro licita ſint oſcula, tactus, & amplexus?

Reſp. Negativè, nam ſub mortali eis vetita ſunt, ac ſi Sponſi non eſſent, ideo cavenda, utpote ad copulam conducentia; ſimiliter delectatio carnalis illis de copula habenda, & Viduis de copula habita tempore matrimonii prohibetur; peccant etiam mortaliter Parentes, vel Tutores, & Cuſtodes Sponſæ, qui eam ſolam relinquunt cum Sponſo propter periculum, ut inter ſe ad turpia procedant, niſi ingnorantia, vel inadvertentia eos excuſent.

PEC-

PECCATUM.

494. QUæritur. An in ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & ad demeritum contrahendum ſufficiat libertas in cauſa ſua, ſeu in peccato originali, & libertate Adami peccantis.

Reſp. Status naturæ lapſæ, ſeu corruptæ is dicitur, in quo juſtitia originali exuti, & peccato contaminati naſcimur, in iſto nulla eſt neceſſitas in homine ad peccandum tranſmiſſa in eum ab Adamo liberè peccante, ut aliqui docuerunt, ſed eorum opinio eſt jam expreſsè, damnata ab Alexandro VIII. *cum propoſ.* 1. *in ſecundò Decreto*; Ratio eſt, quia Adæ peccato noſtra libertas nec amiſſa, nec extincta fuit, ſed in noſtra poteſtate eſt tentationi conſentire, vel eidem reſiſtere, & præcepta implere, divina auxiliante gratia: legas Trident. *Seſſ.* 6. *Can.* 5. *&* 6. *& Conſtit. quæ incipit: Ex omnibus S. Pii V. in qua reprobantur plures propoſitiones Michaelis Baii, & inter eas* 39. *&* 64. *ac aliam Conſt. Innoc. X. editam contra* 5. *propoſitiones Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis*, in qua ut hæretica damnata manet hæc quarta propoſitio, quæ habet; *Ad merendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*.

495. Quæritur. An peccatum philoſophicum ſit etiam Theologicum, hoc eſt, offenſa Dei diſſolvens ejus amicitiam, & pœna æterna dignum?

Reſp. Alexander VIII. antequam quicquam decerneret de una, & triginta propoſi-

poſitionibus, quas 7. *Decembris* 1690. damnavit, aliam quæ habet: *Peccatum philoſophicum ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis: philoſophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum: ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pęna dignum*: declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & meritò, quia peccatum de ſua ratione adverſatur, & quidem formaliter dictamini rationis, quod propoſitio ipſa damnata fatetur, implicat autem quod rationis dictamini adverſetur, & non adverſetur ſimul legi æternę, cum dictamen rationis ſit; velut præco indicens nobis Divinam voluntatem, ſive pręceptivam, ſive prohibitivam, ſive permiſſivam, ut docent communiſſimè nam lumen rationis nihil aliud eſt, quàm impreſſio Divini Luminis in nobis juxta illud *Pſ*. 4. *Signatum eſt ſuper nos Lumen Vultus tui Domine*; ergo implicat peccatum, quod ſolùm ſit phyloſophicum, & non etiam Theologicum, & quod Divinam amicitiam non diſſolvat, nec ſit offenſa Dei, etiamſi advertentia ad Divinam prohibitionem non ſit explicita, ſed tantùm implicita, ſicut v.g. ut Sacerdos peccans contra caſtitatem contrahat malitiam ſacrilegii, non eſt neceſsè, quod tunc actu explicitè cogitet de ſuo voto Caſtitatis, ſed ſufficit, quod de illo cogitet ſaltem ſub aliqua cogitatione confuſa facilè obvia.

496. Quæritur. An pro peccato Originali teneatur Homo tota vita pęnitentiam agere?

Reſp.

Reſp. Hanc injuriam Janſenii aſſeclæ irrogant Divinæ Miſericordiæ, meritis, ac ſatisfactionibus Chriſti Domini, & efficacia Sacramentorum, ut velint; Homines poſt Baptiſmum ſuſceptum teneri ad exhibendas Deo Satisfactiones, quoad vixerint, præcisè ob originale peccatum; quorum ſententia tanquam hæretica expreſſe damnatur ab Alexandro VIII. cum *prop.* 19. Ratio eſt evidens, quia ſublata quavis peccati macula, & quocumque reatu tam odii Divini, quàm pœnæ, quæ ab ingreſſu Cœli remoretur, nulla ſupereſt pœna pro illo luenda, ac ſatisfactio Deo exhibenda, atqui per Baptiſmum omnis omninò macula tollitur, & omnis reatus, tam odii divini, quàm pœnæ obſtruentis aditum ad Patriam Cœleſtem; Siquidem per hoc Sacramentum, ſi fuerint peccata ut coccinum quaſi nix dealbabuntur, ut dicitur Iſa. I. ergo nulla pro originali poſt Baptiſmum pœna eſt ſubeunda; Lege Tridentinum *Seſſ.* 5. *Can.* 5. *&* *Seſſ.* 6. *cap.* 14. ubi dicitur: *Satisfactionem per jejunia, eleemoſynas, & alia piæ vitæ Spiritualis exercitia poſt Sacramentum Pœnitentiæ ponenda eſſe pro pœna temporali, quæ ut Sacræ Literæ docent, non tota ſemper (ut in Baptiſmo fit) dimittitur.*

497. Quæritur. An quando adultus Baptizatur, debeat de peccatis actualibus, ac de originali dolere?

Reſp. De actualibus à ſe commiſſis dolere debet, ſed ſat eſt attritio ſupernaturalis ad Baptiſmi Sacramentum ſuſcipiendum; de originali verò nequit eſſe dolor Contritionis, vel Attritionis, & hoc eſt extra controverſiam quia originale nec eſt materia pœnitentiæ, ut eſt Sacramentum, neque ut eſt virtus,

nam

nam originale non eſt propria voluntate commiſſum, ergo non poteſt propria voluntate retractari.

498. Quæritur. An peccata pollutionis, ſodomiæ, & Beſtialitatis ſint ejuſdem ſpeciei infimæ, & ſufficiat quod pænitens, qui ea commiſit, in confeſſione dicat, ſe procuraſſe pollutionem.

Reſp. Negativè, juxta Decretum Alexandri VII. damnantis propoſ. 24. & meritò, quia vitia ſpecie diverſificantur, quoties diverſa ratione, & malitia eidem virtuti opponuntur, ergo quamvis hæc peccata pollutionis, ſodomiæ, & beſtialitatis eidem virtuti Caſtitatis opponantur, atque adeo ſint in eadem ſpecie ſubalterna, differunt tamen ſpecie infima, ut proinde debeant in ſua ſpecie in Confeſſione explicari, non ſecus ac furtum, & homicidium, quæ ſunt ſpecies injuſtitiæ ob diverſum modum, quo virtuti juſtitiæ commutativæ opponuntur, & injuſtitiam participant, unde fit, vitia diverſificari ſpecie, non ſolùm ſi diverſis virtutibus opponantur, ſed etiam ſi eidem virtuti opponantur diverſimodè: hinc *ad Cor. 6.* de mollitie, & ſodomia fit mentio ſpecialis, tanquam de duobus ſpecie differentibus, dicitur enim: *neque fornicari, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores &c. Regnum Dei poſſidebunt.*; Sicut etiam *Levit* 18. Specialiter Deus ſodomiam, & beſtialitatem execratur dicens: *Cum maſculo non commiſcearis coitu fæmineo, quia abominatio eſt, cum omni pecore non coibis &c. quia ſcelus eſt.*

499. Ex dictis ſequitur 1. probabilius eſſe in ſodomia explicandam in Confeſſione, tan-

tanquam mutantem ſpeciem, circumſtantiam agentis, aut patientis. 2. Similiter explicandam eſſe in ſodomia, num ea commiſſa fuerit cum fœmina. 3. num quis eam commiſerit cum Conſanguineis, vel affinibus, & an Uxoratus propria Uxore abuſus ſit: 4. Num procurata ſit pollutio tactibus alienis, vel ſodomiticis, aut beſtialibus: 5. Explicanda verius videtur in peccato fornicationis circumſtantia Sponſi, vel Sponſæ de futuro ob injuriam, quæ alteri Sponſo irrogatur, quamvis ea non ſit adulterium, ſicut in inceſtu circumſtantia perſonæ in 2. gradu conjunctæ in recta linea ob ſpecialem violationem pietatis: 6. explicanda probabilius eſt circumſtantiæ filia Spiritualis, ſicut etiam circumſtantia diſparitatis cultus ob injuriam, quæ Sacramento Baptiſmi irrogatur, peccando cum infidelibus: 7. Similiter ſi tactus impudici fiant in Eccleſia, & à fortiori ſi in ea habeatur pollutio occulta.

500. Quæritur. An qui habuit deſideria procurandi pollutionem, ſodomiam, vel beſtialitatem, ſatisfaciat in Confeſſione dicendo: ſe habuiſſe deſideria peccandi contra naturam?

Reſp. Negativè; ſed debet exprimere objectum ſui deſiderii, an fuerit ſodomia, ſeu beſtialitas, nam deſiderium efficax continet eandem maliciam ſpecificam objecti ſui, ſed objecta ſodomiæ, pollutionis, & beſtialitatis ſpecie diſtinguuntur: ergo.

PÆNITENTIA.

501. QUæritur. An pænitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poſſit, qui loco ipſius pænitentiam impleat?

Reſp. Non poſſe, conſtat etiam *ex Florent. & Trident. Seſſ.* 14. *Cap.* 3. *Can.* 4. materiam Sacramenti Pænitentiæ eſſe tres illos actus penitentis, nempe contritionem, Confeſſionem, & ſatisfactionem, ergo ſicut nequit Contritio poni per alium, ita nec poteſt ſatisfactio, ſive ſalutaris, ſive præſervativa alteri demandari, tum quia ſi in aliis præceptis, puta de audienda Miſſa, de recitandis horis, de jejunando, non poteſt alius ſubſtitui, à fortiori in hoc præcepto Confeſſarii; cum enim *ex Trident. cap.* 8. penitentia imponatur ad novæ vitæ cuſtodiam, & ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem, conſtat exigi ad executionem hujus præcepti actionem perſonalem, ut ille ipſe, qui peccavit, puniatur; regula enim juris, quod poſſit quis per alium facere, quod poteſt per ſeipſum, tunc ſolùm valet, quando non exigitur ex ſpeciali ratione actio perſonalis, ut quando pænitens, cui impoſita fuit eleemoſyna pro pænitentia, eam per tertiam perſonam implet; conſtat denique ex Decteto Alexandri VII. damnantis propoſ. 15.

502. Quæritur. An poſſit Confeſſarius pænitentiam ſic imponere pænitenti, ut per ſe, vel per alium illam impleat?

Reſp. Negativè, nec is excuſaretur à pec-

peccato, neque ſatisfactio ab alio pro pænitente facta foret Sacramentalis, quia non eſſet actus pænitentis, nec pro eo ſatisfactoria, nam peccata exigunt, ut ipſemet peccator pænam à Sacerdote taxatam ſuſtineat, niſi juſta cauſa interveniat, ob quam Confeſſarius in id conſentiat.

503. Quæritur. An pænitens propria auctoritate poſſit commutare pænitentiam ſibi injunctam in opus evidenter melius.

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia id adverſatur communi Theologorum, & Fidelium ſenſui, & cenſetur temerarium, quemadmodum enim non licet auditionem Miſſæ ab Eccleſia præceptam, vel jejunium Quadrageſimale commutare in opus evidenter melius, ita à fortiori nec pænitentiam à Confeſſario tanquam Judice impoſitam, quæ eſt pars integralis Sacramenti.

504. Quæritur. An pænitens lucrando Indulgentiam plenariam poſſit eximi ab onere implendi pænitentiam impoſitam?

Reſp. probabilius eſſe, non poſſe, tum quia id temporis revera imponuntur leviſſimæ pænitentiæ, quæ vix ſufficiunt per modum medicinæ, tum etiam qui ſi ſententia affirmativa eſſet vera, nunquam Homo teneretur pænitentiam implere, quia innumeræ ſuppetunt Indulgntiæ, quas pænitens poſſet lucrari, quod eſt abſurdum: Verum quamvis juxta doctrinam aliquorum poſſit pænitens omninò eximi ab onere pęnitentię injunctæ lucrando Indulgentiam plenariam, non idcircò poteſt aut pænitentiam illam in opus evidenter melius commutare, aut ad illam implendam alium ſibi ſubſtituere, ut dictum eſt.

505. Quæritur. An pænitens poſſit pæni-

M ten-

tentiam non acceptare; vel injunctam non implere contentus luendi in Purgatorio pænam temporalem debitam?

Reſp. Conveniunt D. D. pænitentem teneri acceptare pænitentiam præſervativam, & adimplere, ut ſi ei præcipiatur v.g. ne ingrediatur domum, in qua eſt occaſio peccandi &c. Sed dividuntur de pænitentia, ut eſt ſatisfactoria pro pæna temporali; aliqui affirmant, ſat eſſe, ut pænitens velit eam in Purgatorio peragere, hæc tamen ſententia communiter à Theologis rejicitur, & à nonnullis contra fidem, temeraria, ac improbabilis reputatur; cum enim ex Tridentino *Seſſ.*14. *cap.*8. Sacerdos poteſtatem habeat ligandi, non poterit pænitens ab obligatione implendi pænitentiam ullatenus ſe eximere, atq; adeo ad illam acceptandam, & implendam (niſi fuerit irrationabilis) tenetur ſub mortali; quamvis materiæ parvitas ex communi ſententia à gravi obligatione excuſet, ut ſi pænitentia impoſita ſit pro ſolis venialibus, vel ſi pro ſolis mortalibus aliàs ritè confeſſis, aut ſi omiſſio ſit levis.

REGULARIUM PRIVILEGIA.

506. Quæritur, An Regulares poſſint in foro Conſcientiæ uti Privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum?

Reſp. Opinionem affirmativam docuerunt nonnulli, quorum ſententia, utpote à parte rei falſa, ad praxim nullatenus deduci poteſt, nam ab Alexandro VII. cum propoſ. 36. damnata fuit; nec pro foro externo, in quo

ex ipſius ſequela multum pax læderetur, & inter Epiſcopos, & Religioſos non minora orirentur litigia, nec pro foro interno, nam ſi poſſent Regulares pro foro Conſcientiæ abſolvere (ver. gr. à reſervatis Epiſcopis, vel ſine approbatione, aut alia hujuſmodi præſtare, nec conſuleretur bono publico, nec vitarentur omninò diſſenſiones inter ipſos; ergo expediens fuit; quod pro foro etiam interno ea Privilegia revocarentur.

507. Quæritur. An ubi Tridentinum non eſt receptum, poſſint Regulares ſaltem in foro Conſcientiæ uti privilegiis per Tridentinum revocatis?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia propoſitio 36. ab Alex. VII. damnata ubique gentium eſt ſcandaloſa, ergo nuſquam gentium poſſunt Mendicantes uti Privilegiis per Tridentinum expreſſe revocatis, atque adeo hac lege Tridentini revocantis hæc Privilegia obligantur etiam illi, qui Tridentinum non receperunt; tum etiam quia ut Privilegium revocetur, non requiritur conſenſus privilegiati, licet enim Privilegia non conferantur invitis, ab invitis tamen auferuntur.

508. Quod attinet ad Privilegia ſolum implicitè per Tridentinum revocata prout implicite *ſeſſ. 23. c. 8.* Revocatur Privilegium, quod Regulares poſſint extra tempora ordinari, & ſimilia; Communius docent nec poſſe iis Mendicantes uti, ne in foro quidem Conſcientiæ, ratio eſt, quia Tridentinum condendo legem in contrarium, illa implicitè revocavit; præterquam quod quamvis ea Privilegia non revocaverit expreſſè Tridentinum; revocavit tamen expreſſe Pius IV. *Anno 1565. in Bulla incip. In Principis Apoſtolorum*

Sede, quæ habetur in Calce Concilii, ubi revocant quæcumque Privilegia, quæ Tridentini Decretis contradicunt; Si quæras quæ nam ſint Regularium Privilegia expreſsè per Tridentinum revocata, in eodem ipſa reperies, videlicet *Seſſ. 22. & 23. cap. 12. & 15. & Seſſ. 25. cap. 22.*

509. Quæritur. An Privilegia Regularium vivæ vocis oraculo conceſſa ſint revocata?

Reſp. Eſſe, nam Gregorius XV. die 1. Iulii 1622. expedivit motum proprium, in quo revocat omnia Privilegia Regularium vivæ vocis oraculo conceſſa, cum aliquibus limitationibus, ſcilicet excipiendo à revocatione ea oracula, quæ conceſſa fuiſſent ad inſtantiam Regum, & ea, quæ manu alicujus Cardinalis firmata fuiſſent. Poſtea tamen Urbanus VIII. die 20. Decembris Anno 1631. expedivit motum proprium alium, qui incipit: *Alias felicis Recordationis*; in quo generaliter omnia vivæ vocis oracula revocavit abſque ulla limitatione, qui habetur *in tom. 4. Bullarii Romani*.

510. Quæritur. An Mendicantes prætextu Privilegiorum poſſint abſolvere ſœculares à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate?

Reſp. Non poſſe, nam id prohibetur expreſſe in Decreto Alexan. VII. damnantis prop. 12. & ante ipſius damnationem erat jam omnibus Regularibus ab Urbano VIII. prohibitum, ne uterentur Privilegio, quo prætendebant poſſe à reſervatis Epiſcopo abſolvere, interdicta quoque fuit talis facultas à Clemente X. *in Conſtit. quæ incipit: Superna*.

511. Quæritur. An Regulares Privilegiorum pretextu poſſint abſolvere Sœculares à Caſi-

Caſibus, qui jure communi, vel conſuetudine Epiſcopis reſervantur, ut eſt percuſſio levis, & occulta Clerici, excommunicatio contra procurantes abortum &c.

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia Urbanus VIII. in ſuo Decreto declaravit, non revixiſſe poteſtatem abſolvendi à reſervatis ordinario loci ſublatam Regularibus à S. Congreg. Decretis, conſtat autem à Decretis antecedentibus S. Congr. ſolum ſublatam fuiſſe poteſtatem abſolvendi à Caſibus, quos ſibi ordinarii locorum reſervant, ergo de his tantùm loquitur Urbanus, necnon antea, Paulus V. ac demum prætacta propoſitio damnata, ſequitur igitur, quod Regulares poſſint abſolvere à Caſibus jure communi, vel conſuetudine Epiſcopis reſervatis, ſicut etiam poſſunt abſolvere à Caſibus Epiſcopo reſervatis in Synodo, ſi in tabella Caſuum Epiſcopalium non adnotentur, quia tunc ceſſat reſervatio, & quia ſumus in materia odioſa, quæ debet in meliorem partem explicari.

512. Quæritur. Qua pæna ligentur Regulares, qui prætextu privilegiorum abſolvunt à reſervatis Epiſcopis, non obtenta ad id facultate?

Reſp. Quod tam Regulares, quàm Sœculares Confeſſarii, qui abſque debita facultate præſumunt à dictis Caſibus abſolvere, ligantur pœna excommunicationis, privationis officiorum, Dignitatum, aut Beneficiorum, & ad quæcumque officia, Prælaturas, & Beneficia in poſterum obtinenda ipſo facto inhabilitentur, ſuper quibus à nemine, niſi à Romano Pontifice habilitatio, diſpenſatio, aut abſolutio, præterquam in mortis articulo, poteſt impertiri, pœna autem

imponitur præſumentibus, quod verbum requirit ſcientiam legis in abſolvente.

513. Quæritur. An Confeſſarii Regulares in vim ſuorum privilegiorum poſſint abſolvere Sœculares à Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis?

Reſp. Nullibi poſſunt abſolvere, 1. à Caſibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ contentis. 2. à Simonia reali contrđa in Ordine, Beneficio, & ingreſſu Religionis. 3. ab omni læſione libertatis, vel immunitatis Eccleſiaſticæ. 4. à violatione Interdicti poſiti à Sancta Sede. 5. à mutilatione, vel occiſione Clerici in Sacris Conſtituti. 6. nequeunt abſolvere deliquentes contra Conſtitutiones de electione Romani Pontificis editas. 7. tractantes de ſucceſſore eligendo vivente Romano Pontifice. 8. Inquirentes per Aſtrologiam judiciariam de Statu Chriſtianæ Reipublicæ, vel de vita, & morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis. 9. violantes juramentum, quod emittunt Officiales S. Congreg. Rituum circa Sanctorum Canonizationem. 10. Revelantes ſecretum S. Rotæ contra formam Bullæ Urbani VIII. 11. Neminem ab Homine nominatim excommunicatum, interdictum, vel ſuſpenſum, vel pro tali declaratum, vel denunciatum abſolvere poſſunt. Extra Italiam verò,& Romæ poſſunt abſolvere à cœteris cenſuris Papæ reſervatis, etiam ab illis ſex in Decreto Clementis VIII. edito anno 1602. contentis; nempe 1. à violatione immunitatis, vel libertatis Eccleſiaſticæ in caſu occulto tantum. 2. à violatione Clauſuræ Monialium ſimiliter in caſu occulto. 3. à Duello. 4. à percuſſione Clerici 5. à Simonia reali ſcienter

ter contracta. 6. à Confidentia beneficiali; à quibus ſex ultimis extra Urbem, & in Italia abſolvere nullatenus poſſunt, ab aliis autem Caſibus Papæ reſervatis, ſupradictis omnibus exceptis, poſſunt abſolvere, niſi aliud obſtet.

514. Quæritur Quid intelligatur per violationem immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorii XIV. quæ incipit; Cum aliàs nonnulli?

Reſp. Intelligitur, quod ab Eccleſiis, ac locis Sacris, & Religioſis vi, fraude, aut dolo, ac indemnitatis promiſſione extrahantur rei ad ipſa confugientes, ut in eis Sacro fruantur aſylo, & contra Judices, ac Curiæ Miniſtros ſecuritate gaudeant; Conſtitutio verò prædicta quoſdam excipit, eiſque immunitas non ſuffragatur, cujus generis ſunt. 1. Publici Latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur. 2. Depopulatores agrorum. 3. Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumque Cœmeteriis committere non verentur. 4. Qui proditorie proximum ſuum occiderit. 5. Aſſaſſini. 6. Hæreſis rei. 7. Et rei læſæ Majeſtatis in perſonam Principis; quibus licèt immunitas non ſuffragetur, eſt nihilominus Judicibus Laicis interdictum ex eis aliquem à præfatis locis ſine expreſſa licentia Epiſcopi extrahere, ut expreſſe Conſtitutio, quæ ipſos Epiſcopos Iudices conſtituit ad videndum, an crimen à reo confugiente patratum ſit qualificatum, & de exceptis. Contrafacientes mortaliter peccant, & ipſo facto excommunicatione ligantur, propter offenſam locis

Sacris, & Religioſis irrogatam, cum debito reſtituendi ex tractos iiſdem locis in individuo, e quibus fuerint abducti.

515 Quæritur. Quid intelligatur nomine Clauſuræ Monialium, & ad malum finem violatæ.

Reſp. Per Clauſuram venit illud ſpatium, quod intra januam Monaſteri ſemper clauſam continetur, ut clauſtrum, domus, hortus, & officinæ interiores: *Cap. exiis de verb. ſignif. in 6.* ad quæ eſt cuilibet ingreſſus interdictus, & extra quæ Moniales non poſſunt egredi, quin leges Clauſuræ tranſgrediantur juxta Conſtit. Gregorii XIII. incip. *Deo Sacris;* ad malum autem finem violatur, cum quis ea loca ad effectum Venereum ingreditur; Sed etiam non ad hunc finem ingredientes excommunicatione ligantur, quæ tamen à S. Pœnitentiaria, vel à Privilegiatis abſolvi poteſt, etiam extra Urbem.

516. Quæritur. Quid intelligatur nomine injicientium manus violentas in Clericos.

Reſp. Intelligitur quælibet actio externa ipſis Clericis vel ordini Clericali injurioſa, modo ipſos Clericos, vel ipſorum veſtes tangat, etiamſi id contingat ſputo, aqua, pulvere, vel ſimili; hinc puris verbis Clericum injurians non comprehenditur.

517. Quæritur. An nomine Clerici veniant etiam Religioſi, Moniales, & cœteræ Eccleſiaſticæ perſonæ?

Reſp. Veniunt omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, & 1. Clerici, omnes Sœculares prima Tonſura initiati, etiam Conjugati, ſi cum una, & Virgine contraxerint, ac habitum, & tonſuram deferant. 2. Monachi, & hinc Religioſi omnes utriuſque Sexus. 3.

Ter-

Tertiarii, vel in communitate viventes, vel cum Clauſtralibus habitantes. 4. Tertiariæ Virginalem, aut cælibem vitam ſimpliciter voventes, tametſi ſeorſim, aut in propriis domibus, vel conſangiuneorum, aut affinium ſuorum habitent, modo ad habitum per Superiores admittantur de licentia ordinarii &c. 5. Eremitæ, qui ſub ſpeciali obedientia Epiſcopi, vel alterius Prælati ex voto, vel pacto, alicui Eccleſiæ, Eremitorio, vel loco Sacro in communitate, vel ſeparatim deſerviunt. 6. Equites S. Joannis Hieroſolymitani: ſuper Caſibus 3. 5. & 6. reſervatis in dicto Decreto Clementis VIII. *Vide duellum, & Simonia.*

RESTITUTIO.

518. Quæritur. An qui alium movet, aut inducit ad inferendum damnum grave tertio, teneatur ad reſtitutionem iſtius damni illati?

Reſp. Affirmativè, juxta Decretum Innoc. XI. damnantis propoſ. 39. & meritò, quia quicumque damnum alteri infert, obligatur jure naturæ ad damnum compenſandum, ſed movens, aut inducens alium ad damnificandum Petro, revera damnum infert Petro, cum ſit cauſa moralis talis damni, ergo ad reſtitutionem obligatur, quamvis enim movens, aut inducens alium ad inferendum damnum, non cauſet illud phyſicè, nec neceſſitet alium ad actionem damnificativam, adhuc tamen damnum imputatur illi, non ſecus ac inferenti.

519. Quæritur. An qui pravo ſuo exemplo inducit alios ad furandum, teneatur ad reſtitutionem?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia tunc merè occaſionaliter damnum cauſatur, atque adeo cum non violetur juſtitia, non datur onus reſtitutionis; neque incurrit irregularitatem, qui ſuo exemplo inducit aliquem ad patrandum homicidium; ſecus verò ſi mandet, aut ſuadeat illud; qui enim pravis ſuis moribus inducit alios ad peccandum, non intendit illorum culpas, & licèt aliquando eas velit, non influit tamen poſitivè in illas.

520. Quæritur. An teneatur ad reſtitutionem qui accipit pecuniam, ut taceat furtum ab alio patrandum?

Reſp. Teneri, ratio eſt, quia tunc fur ſecuriùs furatur, undè accipiens ſic pecuniam poſitivè ad furtum concurrit, atque adeo lædit jus alienum; Contra verò, qui accipit pecuniam, ne revelet furtum jam commiſſum, non tenetur ad reſtitutionem, quia non cooperatur poſitivè ad damnum alienum niſi ex officio, aut contractu teneatur illud revelare.

521. Quæritur. An qui precibus, ſuaſione, petitione, &c. movet, vel inducit Collatorem, ut officium, Beneficium, vel legatum, ſeu eleemoſynam, & ſimilia dona gratuita non conferat petenti, vel cui apud ſe Collator conſtituerat, teneatur ad reſtitutionem?

Reſp. Quilibet habet jus, ne malis artibus ſibi impediatur aſſecutio alicujus boni, eo quod habeat jus ad tale bonum conditionatè, hoc eſt dependenter à voluntate donantis, unde juſtitia violatur, ſi dolo, vi, fraudibus, vel mendaciis evertatur libertas illius, qui poteſt tale bonum conferre; non

tamen læditur juſtitia, ſed charitas, ſi precibus, petitione, vel ſuaſione impediatur collatio boni, & ideo in noſtro caſu non datur onus reſtitutionis.

522. Quæritur. An qui inducit Judicem, ne imponat mulctam pecuniariam Fiſco, aut parti læſæ ſolvendam, vel inducit Cuſtodes Silvarum, Fluminum, Civitatum &c. ne deferant Magiſtratibus tranſgreſſores, atque adeo impediunt, ne mulcta Fiſco, aut Dominis ſolvatur, teneatur ad reſtitutionem?

Reſp. Quamvis peccet, probabiliter tamen ad reſtitutionem talis mulctæ non teneri; ratio eſt, quia ad has mulctas non habet Fiſcus, aut pars læſa jus ante ſententiam Judicis, ergo qui has mulctas impedit, non peccat contra juſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem, ſicut nec Judex, & Cuſtodes tenentur ad illam compenſandam; Omnes tamen hi tenentur compenſare damnum illatum parti læſæ, relate ad id, ad quod habet jus independenter à ſententia Judicis; v. g. Cuſtodes, qui ex contractu, atque adeo ex Juſtitia tenentur revelare tranſgreſſores, quamvis non teneantur compenſare mulctam pecuniariam Fiſco poſt ſententiam Iudici ſolvendam, tenentur tamen compenſare Fiſco id, quod eſſet à tranſgreſſoribus ſolvendum ratione gabellæ; & ideo, qui inducit Cuſtodes ad non revelandum tranſgreſſores, tenetur etiam ipſe hoc damnum Fiſco compenſare.

523. Quæritur. An inducens alium ad damnificandum ſuo Conſilio, aut mandato, ſi revocet mandatum, vel Conſilium, adhuc teneatur ad reſtitutionem?

Reſp. Quod ſi mandatum revocet, non teneatur ad reſtitutionem, eo quod tunc mandatarius non noceat vi mandati, utpotè jam revocati; ſi tamen revocet conſilium, & conſultus, adhuc vi illius conſilii damnificet, conſulens ad reſtitutione tenetur, ſicut qui, propinato alteri veneno, conatur deinde antidotis illud extinguere, & non poteſt, adhuc irregularitatem contrahit, & onus reſtitutionis, ſi mors ſequatur; Quod ſi conſultus non vi illius conſilii, ſed ex propria malitia damnificet, conſulens excuſabitur; hoc autem contingit, quoties conſulens poſt datum conſilium alteri de inferendo alicui damnum, validiores rationes adducit ad retrahendum illum à ſuo propoſito; quæ dicta ſunt de conſulente operationes injuſtas, intelligenda etiam ſunt de Confeſſario, vel Theologo, quem Homo imperitus conſulit, an teneatur reſtituere, & conſiliarius reſpondet ſive ex malitia, ſive ex ignorantia culpabili, non teneri; & præcipuè de Regis Miniſtris, ſeu Conſiliariis, cum conſulunt Regi bellum injuſtum, aut gabellam iniquam, vel actionem contra immunitatem, vel libertatem Eccleſiaſticam, quia revera movent, & inducunt alium ad inferendum grave damnum tertio, & ſic tenentur omnem damnificatione reſarcire.

524. Quæritur. An ad reſtitutionem teneatur, qui movet, aut inducit alium ad inferendum damnum minus, quoties ille determinatus eſt inferre damnum majus?

Reſp. Quod non peccat, nec conſequenter tenetur ad reſtitutionem, ſi ſuo conſilio intendat tantùm illud damnum majus avertere; Conſilium enim eſt potius conditionatum,

natum, quàm abſolutum, quaſi dicatur, ſi vis occidere Petrum, potius vulnus, aut alapam infligas; qui tamen determinatus eſt occidere Petrum, non poteſt induci ad inferendum potius malum minus Paulo, niſi quando Paulus ex charitate tenetur potius illud malum minus ſubire, ut proinde non ſit rationabiliter invitus: v. g. ſi fur determinatus ſit furari à Petro, qui ob tale furtum redigetur ad extremam, vel quaſi extremam neceſſitatem, licitum eſt conſulere illi, ut potius furetur aliquantulum à Paulo divite, qui in tali caſu hic non eſſet rationabiliter invitus; ſi autem ſit in poteſtate ſuadentis impedire omninò damnificationem, & ipſe ſuadet minus damnum, peccat graviter, & ad reſtitutionem tenetur.

SIMONIA.

525. Quæritur. An citra Simoniam dari poſſit temporale tanquam motivum ad obtinendum Spirituale, vel poſſit dari in gratuitam compenſationem pro Spirituali, autè contra; vel poſſit etiam dari Spirituale propter temporale, tanquam propter motivum principale, ac finale, ita ut pluris æſtimetur temporale iſtud, quam ipſa res ſpiritualis?

Reſp. Perſpicuum eſt, Simoniam committi, quoties datur temporale pro Spirituali, etiam ſi non detur tamquam pretium, ſed præcisè tanquam motivum, ſi detur animo obligandi alterum ad conferendum Spirituale, aut ſi detur temporale in gratuitam compenſationem pro Spirituali, vel è contra; & à fortiori Simoniam committi, ſi temporale

porale ſit motivum principale ad dandum Spirituale, ita ut pluries æſtimetur, quàm ipſa res Spiritualis, eo quod in hoc ultimo duplex irreverentia adverſus rem Sacram committatur, altera quod permutetur cum temporali, tanquam pro pretio, cui cenſetur æquiparari, altera quod ſupra rem ipſam temporalem æſtimetur, ut proinde res Spiritualis ordinetur ut medium ad obtinendam rem temporalem, tanquam ad ejus finem, quod proculdubio ſummam continet inordinationem, & irreverentiam; hinc jure meritò damnatæ ſunt opiniones oppoſitæ ab Innoc. XI. cum propoſitionibus 45. & 46.

526. Quæritur. An ſit Simonia dare temporale pro Spirituali, vel è contra cum pacto ſolùm amicitiæ non juſtitiæ, hoc eſt cum pacto ſolùm obligante ex benevolentia, & gratitudine, aut etiam ex fidelitate, non verò ex juſtitia?

Reſp. Non pauci affirmarunt ad Simoniam requiri, quod temporale pro Spirituali exigatur vi pacti tanquam pretium, ſeu ut debitum ex juſtitia, nec ſufficere, quod obligatio naturalis gratitudinis in pactum deducatur; aut quod temporale pro Spirituali detur ut gratuita compenſatio, ſeu ut debitum in compenſationem. Hic tamen error in ſupracitatis propoſitionibus virtualiter damnatur, ratio eſt, quia ſicut uſura committitur, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, & non tanquam debitum ex juſtitia, necnon ſi dicatur oretenus dari in gratuitam compenſationem, detur tamen tanquam debitum, perindè ac ſi pa-

ctum

ctum præceſſiſſet, ut patet ex prop. 42. inter damnatas ab eodem Pontifice; ita ſimiliter Simonia committitur dando temporale pro Spirituali, vel è contra cum hujuſmodi pacto, nam ex communi axiomate, *quod in temporalibus eſt uſura, in Spiritualibus eſt Simonia*; tum etiam quia, ſi hæc via obligandi ſe ex gratitudine, vel amicitia, & non ex juſtitia eſſet licita, pateret immenſum oſtium uſuris, & Simoniis palliatis.

527. Quæritur. An ſit Simoniacus, qui accipiens beneficium Eccleſiaſticum promittit ſe fore gratum?

Reſp. Si promittat ſincere, & ſine intentione dandi temporale pro Spirituali, ſed ſolum exponendo ſuam obligationem antidoralem, non erit Simoniacus, nam per ea verba non manet obligatus ad dandum aliquid temporale, ſed ſolùm ad implendam obligationem antidoralem, quam implere poteſt fundendo preces ad Deum pro datore, ſeu reſignatore Beneficii, in quo nullum eſt Simoniæ veſtigium; ſi verò proferat ea verba taliter, quod attentis circumſtantiis ſignificet, ſe daturum temporale pro Spirituali, committet crimen Simoniæ conventionalis, pœnis Juris Canonici condemnandæ, quia quamvis ea prolatio verborum undè ſumpta non ſignificet aliquod munus temporale tribuendum, ex circumſtantiis tamen, & communi modo loquendi, verè ſignificat tribuendam eſſe compenſationem temporalem.

528. Quæritur. An Beneficiarius, qui vadit ad Eccleſiam propter diſtributiones, ſit Simoniacus?

Reſp.

Reſp. Si enim hujuſmodi diſtributiones reſpicit, quaſi finem ſui operis principaliter intentum, Simoniam committit, & ita mortaliter peccat; ſi autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujuſmodi verò diſtributiones reſpicit ſecundariò, non quaſi in finem, ſed ſicut in id, quod eſt neceſſarium ad ſui ſuſtentationem, conſtat, quod non vendit actionem virtutis, & ita Simoniam non committit, nec peccat; nam qui in actione virtutis principaliter reſpicit Deum, aut motivum ſupernaturale, tanquam finem principaliter intentum, & in eadem actione reſpicit commodum temporale, tanquam finem ſecundarum, & minus principalem, ſic non vendit actum Spiritualem, & ita cogita de eo, qui celebrat, vel communicat, aut recitat Roſarium &c. propter ſtipendium.

529. Quæritur. An famuli, & familiares Cardinalium, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, qui cum ſpe obtinendi aliquod beneficium Eccleſiaſticum illis famulātur, & obſequia pręſtant, ſint Simoniaci?

Reſp. Qui dat munus ab obſequio, ſive qui exhibet famulatum taliter, ut per illum non moveat, neque inclinet voluntatem Collatoris ad conferendum beneficium, licèt habeat aliquam ſpem perveniendi ad illud, & hoc ſenſu dicatur famulari propter beneficium, tanquam propter finem ſecundarium, non erit Simoniacus; ſi verò præſtet munus ſuum ab obſequio, vel principaliter propter promotionem ad beneficium, vel cum animo alliciendi ſuo famulatu voluntatem Prælati, vel alterius Collatoris ad talem promotionem, Simoniacus erit.

Si-

Similiter Cardinales, & alii Prælati Simoniacè delinquent, ſi obſequia temporalia famulorum, quæ compenſare debent mercede temporali, velint compenſare beneficio Eccleſiaſtico: hoc enim virtualiter eſt venditio, & commutatio beneficii pro obſequio temporali, & tunc dant beneficium propter munus ab obſequio, tanquam propter finem principalem.

530. Quæritur. An Simonia committatur ab eo, qui pecuniam, vel aliud munus offert, ut in Prælaturam Regularem eligatur?

Reſp. Affirmativè, non ſecus ac qui pecuniam offert ad beneficium obtinendum; dubium tamen eſt, an ille excommunicationem incurrat latam contra obtinentes Simoniacè beneficium, quia dubium eſt apud D.D. utrum nomine beneficii veniat etiam Prælatura Regularis.

531. Quæritur. An Simoniam contrahant Petrus, & Paulus, qui inter ſe ita conveniunt; Ego eligam te in Priorem, & Tu eliges me in Provincialem?

Reſp. Nonnulli probabiliter putant, quod quamvis hic contractus non vacet culpa mortali, non ſit tamen Simoniacus, quia non permutatur temporale cum Spirituali, ſed Spirituale cum Spirituali; idemque docent ſi duo compatroni beneficii conveniant, ut unus prima vice præſentet quem mavult alter, & hic altera vice præſentet ad arbitrium illius.

532. Quæritur. An ſit Simonia, pro interceſſione offerre pecuniam interceſſori mediato, vel immediato in ordine ad obtinendum beneficium, etiam ſi offeratur ut motivum?

Reſp. Affirmativè, ſicut etiam paratur

via

via ad beneficium per pecuniam, ſi offeratur tanquam pretium Collatori, ita etiam ſi offeratur interceſſori ſive mediato, ſive immediato.

SIMULATIO.

533. QUæritur. Quid, & quotuplex ſit Simulatio?

Reſp. Quod eſt duplex, alia formalis, quæ fit cum voluntate directa decipiendi; alia materialis, quæ fit ob juſtam cauſam permittendo aliorum deceptionem, eo pacto, quo per æquivocationem non intenditur directe, ſed ob juſtam cauſam permittitur aliorum deceptio.

534. Quæritur. An urgens metus gravis ſit cauſa juſta ſimulandi Sacramentorum adminiſtrationem?

Reſp. Quod ſimulatio formalis, quæ fit cum voluntate directa decipiendi, ſit illicita tam in adminiſtrandis Sacramentis, quàm in quocumque alio caſu, non dubitatur, quippè quæ depurari non poteſt à mendacio; parum enim refert, quod mendacium fiat verbo, aut nutibus, aut alio ſigno exteriori, dummodo fiat animo fallendi; de ſimulatione tamen materiali fuit diſſenſio inter D. D. nonnulli enim putarunt, ratione metus gravis licitam eſſe ſimulationem materialem in Sacramentorum adminiſtratione, ſed eorum opinionem Innocen. XI, cum propoſ. 29. damnavit, definiendo, metum ipſum mortis non eſſe juſtam cauſam adminiſtrandi fictè Sacramenta; ratio eſt, quia quamvis regulariter ſimulatio materialis tam verbis, quam

aliis

aliis ſignis exterioribus ob juſtam cauſam liceat, & poſſit etiam eſſe honeſta, cum etiam de Chriſto Dimino dicatur: *Luc.* 24. *& ipſe finxit ſe longius ire*; nihilominus tamen quoties ſimulatio aliqua externa eſt, aliquatenus Deo injurioſa, tunc nullatenus licet, ne ad mortem quidem declinandam, ſic nullam ob cauſam licet exterius adolere thus idolo, etiam ſine animo adolendi, quia hæc ipſa ſimulatio eſt graviter Deo injurioſa, ſed in caſu noſtro ſimulare adminiſtrationem Sacramentorum eſt pariter Sacramentis injurioſum, ergo ne ad mortem quidem declinandam iſta ſimulatio materialis eſt licita, cum reverentia debita Sacramentis poſtulet, non ſolùm quod Sanctè tractentur, ſed etiam quòd adminiſtrentur ſincere; gravius enim peccatum eſt ſimulare Sacramenti adminiſtrationem, quàm ſacrilegè illud adminiſtrare, quia Deo illudit; & homines decipit, qui fraudulenter Sacramenta ſimulare præſumit.

535. Quæritur. An cum Confeſſarius ea ſola Confeſſione Sacramentali novit pœnitentem accedentem ad Sacram Menſam eſſe pane Angelico indignum, poſſit licitè loco Hoſtiæ Conſacratæ præbere non Conſacratam?

Reſp. Aliqui putarunt poſſe, modo pœnitens conſentiat, & Sacerdos cum Hoſtia non Conſecrata teneat ſimul in manu aliam Conſecratam, ut etiam circumſtantes debitum objectum ſuæ adorationis habeant, quæ ſententia eſt prorſus improbabilis, & falſa, ideo tenendum eſt, non poſſe, ratio eſt, quia tunc Sacerdos mentiretur, & ad-

& adſtantes deciperet, ſignificaret enim ſe dare Hoſtiam Conſecratam, quam non daret, unde peccaret graviter. 1. Peccato falſitatis, & ſimulationis 2. Peccato gravis irreverentiæ erga Sacram Hoſtiam 3. Peccaret exhibendo Hoſtiæ non Conſacratæ externam adorationem latriæ 4. Præbendo occaſionem aliis ad eam adorandam, quæ omnia ſunt graviter illicita; debet igitur Conſecratam præbere, ne ſigillum Confeſſionis frangat, nec adminiſtrationem Sacramenti ſimulet.

536. Quæritur. An liceat Confeſſario proferre verba abſolutionis ſine animo abſolvendi?

Reſp. Negativè, ratio eſt, quia eſt magna irreverentia, quæ immediatè verſatur, circa immediatam formam Sacramenti, inſtitutam à Criſto Domino ad hunc ſolùm finem dimittendi peccata; & qui affirmat: *Ego te abſolvo*: ſine intentione abſolvendi, mentitur, quod eſt gravis irreverentia, quæ pariter committitur proferendo verba Conſecrationis ſine animo Conſecrandi.

537. Quæritur. Quomodo ſe geret Confeſſarius, qui in conſpectu plurium circumſtantium videt pœnitentem indignum eſſe abſolutione ob defectum diſpoſitionis, ne prodat indignitatem peccatoris, violando ſigillum?

Reſp. Quod debet quaſi obmurmurando recitare aliquam orationem, vel pœnitentem benedicere, non intendendo deceptionem circumſtantium, ſed ſolùm permittendo illam; ne indignitatem pœnitentis prodat, & ne ſigillum violet, quia ſi id ſignum daret externum, nempè intendendo, quod intelligant abſolutum eum, qui non eſt abſolutus, mortaliter peccaret, & peccato men-

mendacii , & contra reverentiam Sacramento debitam; quod ſi præter intentionem Confeſſarii adſtantes decipiantur , tunc is non peccat, quia Sacramenti adminiſtrationem non ſimulat, & cum præfatæ orationes, ſeu benedictiones ad formam Sacramenti pœnitentiæ non pertineant.

538. Quæritur. An Confeſſarius, cui pœnitens mortem minatur, niſi abſolvat , poſſit ſecretò dicere hoc verbum *: neutiquam :* & deindè clara voce addere : *Ego te abſolvo ?*

Reſp. Nonnemo docuit, non ſolùm id eſſe licitum, ſed etiam poſſe proferri verba abſolutionis : *Ego te abſolvo* : addendo poſtea ſubmiſſa voce: *à Cenſuris* : utrumque tamen ſane falſum eſt, atque adeo illicitum, ratio eſt , quia tam illud verbum *: Neutiquam* quam illud , *à Cenſuris* , ſubmiſſa voce prolatum, perindè eſſet ac ſi mente tantùm retineretur , ſed locutio, cum reſtrictione mentali non eſt licita, ergo nec ea verba ſubmiſſe prolata licita ſunt ; propterea in caſu noſtro, quando alio licito modo non poſſet Confeſſarius pœnitentem à ſuo propoſito removere, deberet potius mortem ſubire , quàm peccatum committere.

539. Quæritur. An poſſit Confeſſarius, ad non ſimulandam abſolutionem , apponere conditionem ?

Reſp. Negativè, nam ad evitandum unum peccatum , aliud committeret abſolvens indiſpoſitum, etenim ad licite impendendam abſolutionem , debet prudenter judicare pœnitentem eſſe ritè diſpoſitum , & ſolùm ob juſtam cauſam poteſt impendi conditionata abſolutio.

540. Quæritur. An qui poſt celebrata Spon-

Sponſalia cum Berta, contraxit impedimentum dirimens, propter quod nec vult, nec poteſt promiſſionem implere, poſſit ad vitandam mortem, quam ei parentes Sponſæ minitantur, contrahere Matrimonium cum intentione non ſe obligandi, & ſimulandi contractum?

Reſp. Negativè, ſive cum animo contrahendi contrahat, ſive abſque animo eam ducat, ſemper peccat contra reverentiam Sacramento debitam, nam ſemper facit illud irritum. 1. Quia contrahit cum impedimento dirimente. 2. Quia ſimulat Sacramentum, nec poteſt ex metu quantumvis gravi excuſari. 3. peccat peccato mendacii, & deceptionis, ſi reſpondeat, ſe accipere Bertam in ſuam, animum enim contrahendi non habeat. Remedium itaque erit, ut ad S. Pœnitentiariam pro diſpenſatione ſuper impedimento recurrat, vel de eo conferat cum Epiſcopo, ut provideat, quæ ſane eſt melior reſponſio pro praxi; quàm allata à quodam recentiore putante, poſſe ſimulare matrimonium, ut contractus eſt, non verò ut Sacramentum, quæ quidem diſtinctio à Viro Catholico ſuſtineri non poteſt.

USURA.

541. QUæritur. An Mutuator poſſit excuſari à crimine uſuræ, ſi in mutuo aliquid ſupra ſortem exigat, ob majorem æſtimationem, quam facit, pecuniæ præſentis, quàm futuræ?

Reſp. Non poſſe excuſari, ut conſtat ex propoſ. 41. inter damnatas ab Innoc. XI. Etenim quamvis in ordine ad alios contra-

ctus

ctus poſſet dici pecunia numerata eſſe pretioſior numeranda, in ordine tamen ad contractum mutui id non poteſt habere locum, nam in terminis mutuationis, & in ordine ad illam non conſideratur utilitas, quàm poteſt habere muniator, ſi non mutuet, & quæ poſſit reddere pretioſiorem pecuniam præſentem, quàm futuram; tum quia ſi habenda eſſet in ſcrinio, non eſſet mutuatori utilior pecunia præſens, quàm futura, & ſi ei profutura eſſet ad lucrum, jam egredimur terminos contractus mutuationis, & ingredimur viam alterius contractus, quo ſe obligat mutuator ad ſubeundum damnum emergens, qui novus contractus eſt pretio æſtimabilis; neque poteſt dici pretioſior pecunia præſens ex neceſſitate mutuatarii, quia ſi mutuator habiturus eſſet pecuniam in ſcrinio, ex ſola neceſſitate mutuatarii non eſſet præcisè utilior, aut pretioſior mutuatori.

542. Quæritur. An licitum ſit mutuanti aliquid ſupra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus?

Reſp. Negativè, juxta decretum Alexandri VII. damnantis propoſ. 42. & ratio eſt, quia ex hoc aperiretur immenſum oſtium uſuris palliatis, quilibet enim mutuans dicere poſſet, quod per diem, vel per hebdomadam mutuet gratis, deinde aliquid ſupra ſortem velit pro obligatione non repetendi ſortem per annum, aut per aliud tempus.

543. Quæritur. An ſi mutuans prævideat periculum proximum amittendi ſortem, poſſit à mutuatario aliquid exigere pro hoc periculo, cui ſe exponit?

Reſp.

Reſp. Poſſe citra uſuram in hoc caſu aliquid ſupra ſortem accipere, non quidem pro obligatione non repetendi mutuum intra certum tempus, ſed pro damo probabiliter emerſuro, aut pro lucro probabiliter ceſſaturo intra illud tempus, quo mutuans in gratiam mutuatarii privat ſe pecunia ſua: duo tamen ſunt à mutuante præſtanda, primum eſt, quod moneat mutuatarium de hoc damno probabiliter emerſuro, ut poſſit ille aliter ſibi conſulere, accipiendo pecuniam ab alio, cui fortè damnum nullum emergeret, & ſic à ſolvendo gravamine liberetur; alterum eſt, quod non obliget illum ad ſolvendum lucrum ad menſuram æſtimationis ejus periculi; mutuans enim ſolùm habet jus, ut ſervetur indemnis, nam ſi aliam obligationem mutuatario imponat, ab uſura non poterit excuſari.

544. Quæritur. An committatur uſura, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, & non tanquam debitum ex juſtitia?

Reſp. Quod pars negativa repugnat decreto Innoc. XI. damnantis propoſ. 42. ratio eſt, quia quoties immediate ex mutuo provenit aliquod lucrum mutuanti, & aliquod gravamen mutuatario, quod ſit extra rationem mutui, uſura proculdubio committitur, atqui ſi mutuatarius teneatur præter ſortem dare v.g. quinque pro ſingulis centenariis, ita ut poſſint ea à mutuante exigi tanquam debita, etiam ſi ex gratitudine, & benevolentia, immediatè provenit ex mutuo hoc lucrum mutuanti, & hoc gravamen mutuatario; ergo ſi aliquid exigatur ultra ſortem tanquam debitum ex bene-

nevolentia, aut gratitudine, committitur uſura.

545. Quæritur. An mutuans committat Uſuram, ſi aliquid ſupra ſortem ſperet à mutuatario?

Reſp. Negativè, ſi ſecluſo omni pacto aliquid ſperet, & exigat ex mera gratia mutuatari: ratio eſt, quia Innocentius solùm damnavit opinionem docentem, non eſſe Uſuram exigere ex mutuo aliquid ſupra ſortem, tanquam debitum ex benevolentia, aut gratitudine, quod eſt valde diverſum à caſu noſtro.

546. Quæritur. An mutuans ad reſtitutionem lucri teneatur, ſi mutuatarius illud ſolvit tanquam debitum, ipſe vero accipit tanquam ſibi ex gratitudine donatum?

Reſp. Mutuantem ad reſtitutienem teneri, niſi bona fides excuſet, quia datio illa mutuatarii, ut potè involuntaria inſufficiens eſt ad transferendum dominium, cum deſit animus donandi; immò ſi mutuans accepit lucrum dubia fide, ſeu dubitans, num detur ſibi liberaliter, an tanquam debitum, adhuc ad reſtitutionem tenetur, ſicut qui dubia fide cæpit poſſidere rem alienam; ſi verò bona fide accepit, & dubium ſuperveniat, tenetur inquirere ad dubium deponendum, quod ſi deponi non poſſit, probabile eſt, quod poſſit lucrum retineri; in hoc enim dubio melior eſt conditio poſſidentis.

547. Quæris. An ſi Mutuatarius dedit aliquid ſupra ſortem liberaliter, mutuans vero accepit mala fide, putans ſibi dari ut debitum, teneatur ad reſtitutionem?

Reſp. Probabilius eſſe, quod poſſit mutuans lucrum illud retinere quando deprehen-

hendit animum liberalem mutuatarii, ratio eſt, quia ex parte dantis poſita fuit ſufficiens voluntas ad transferendum dominium, & ex parte accipientis poteſt poni acceptatio formalis, quando deprehenditur animus mutuatarii non retractatus, ita ut tunc dominium transferatur; præter quam quod poſita fuit acceptatio virtualis tunc quando mutuans accepit lucrum, quia quamvis putaverit illud non dari gratis, voluit tamen ſibi accipere omni meliori modo, quo poterat; neque obſtat quod *in cap. conſului de Uſuris* dicatur, Uſurarium mentalem cogendum eſſe ad reſtituendum, ibi enim eſt ſermo, quando Mutuatarius non dedit aliquid ſupra ſortem merè liberaliter, & quandiu de hac voluntate dantis non conſtet.

548. Quæritur. An teneatur ad reſtitutionem mutuans, ſi aliquid ſupra ſortem det ei mutuatarius, liberaliter quidem, ſed ductus timore, ne alioquin non ſit accepturus iterum mutuum, quando indigebit, aut ne vocetur ingratus?

Reſp. Teneri, ratio eſt, quia mutuatarius quando ſolvit aliquid ultra ſortem ductus timore, ne ſibi novum beneficium ſubtrahatur, ferè ſemper putat, injuſtum metum gravem ſibi incuti, & idcirco videtur, quod non det liberaliter, ſed coactè ductus hoc injuſto metu, unde obligatur mutuans ad reſtitutionem, quod ſi metus eſſet levis, nec daret cauſam donationi, mutuans poſſet rem ſibi liberaliter donatam retinere.

549. Quæritur. An ſicut eſt uſura mutuare cum pacto, quod quis ſe obliget ex ju-

juſtitia ad remutuandum in poſterum, ad frequentandum tuum molendium, officinam, Gymnaſium, & ita ſit uſura mutuare cum pacto, quod quis ad hæc ſe obliget ex gratitudine?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt quia in utroque caſu obligationi naturali gratitudinis ſuperadditur nova obligatio oneroſa, in primo caſu civilis, quia ex juſtitia, in ſecundo moralis, quia ex fidelitate, quando quidem obligari ad id etiam ex fidelitate gravat magis mutuatarium, quàm gravet mutuantem ipſa mutuatio, & ideo ab his pactis utpote illicitis abſtinendum.

550. Quæritur. An ſit licitum mutuare cum pacto, quod alter ſuæ obligationi ſatisfaciat, v. g. audiat Miſſam die feſto, impleat votum, ſatisfaciat debito liquido?

Reſp. Eſſe licitum, quando hujuſmodi pactum non ſuperaddit novum onus, quod magis gravet mutuatarium, quam mutuatio gravet mutuantem, paſſim hæc nova promiſſio non cenſetur magis gravare quam antecedens obligatio. Ex hucuſque dictis collige praxim, amice lector, & Deo gratias age, ſi in tui commodum aliquid utilitatis attulerit hic libellus, quem S. Romanæ Eccleſiæ infallibili judicio ſubjectum eſſe volo.

Recenſentur quinque Propoſitiones CORNELII JANSENII

Epiſcopi Iprenſis.

Damnatæ ab INNOC. X.

Per quamdam Conſtitutionem ſuam, quam Alexander VII. ac Clemens XI.

Poſtea confirmarunt, & innovarunt: tenor vero earum Propoſitionum eſt, prout ſequitur.

1. ALiqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

2. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

3. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana volun-

luntas reſiſtere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Quarum propoſitionum prima damnata eſt tanquam temeraria, impia, blaſphemia, & hæretica: 2. ut hæretica, ac 3. ſimiliter. 4. ut falſa, & hæretica. 5. ut falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit; impia, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica, cum directè adverſetur doctrinæ Scripturarum, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum.

Sequuntur Propoſitiones damnatæ à SS.D.N.

ALEXANDRO PAPA VII.

Feria 5. die 24. Septembris 1665.

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium. v. Fides.

2. Vir Equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. v. duellum.

4. Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non degorare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sac. Con-

greg. Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt. v. Bulla.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro Conſcientiæ abſolvere quoſcumque Sæculares ab hæreſi occulta, & ab Excommunicatione propter eam incurſa. v. Abſolutio.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis. v. Denunciatio.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, & proinde non eſt denunciandus. Ibidem.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi. Ibidem.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem: idque poſt Decretum Urbani VIII.

v. Miſſa.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta. Ibid.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificialis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiam ſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram. Ibidem.

11. Peccata in Confeſſione oblita, ſeu omiſſa ob inſtans periculum vitæ, aut ob

aliam

aliam cauſam non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere. v. Confeſſio.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à Caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate. v. Regul. privil.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato. v. Confeſſio.

14. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. Ibid.

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. v. Pœnitentia.

16. Qui beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario. v. Confeſſarius.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, Calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere, minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur. v. Defenſio.

18. Licet interficere falſum accuſatorem falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua, certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare. Ibidem.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehenſam. v. Adulterium.

20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſi pœna. v. Beneficiarius.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet. Ibidem.

22. Non eſt contra juſtitiam, Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. v. Beneficium.

23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc fiat; puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto. v. Ieiunium.

24. Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem. v. Peccatum.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam. v. Copula.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio. v. Iudex.

27. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem. v. Opinio.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam. v. Lex.

Se-

Sequuntur Propoſitiones damnatæ ab eodem

ALEXANDRO PAPA VII.

Feria 5. die 18. *Martii 1666.*

29. IN die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. v. Iejunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio. Ibidem.

31. Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiam ſi iter unius diei conficiant. Ibidem.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lecticinia in Quadrageſima obliget. Ibidem.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit. v. Beneficiarius.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto. v. Horæ Canonicæ.

35. Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præcedenti, & craſtino. Ibidem.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Conc. Trid. v. Regul. privil.

37. Indulgentiæ conceſſe Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

datæ. v. Indulgentia.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum. v. Communio.

39. Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur. Ibidem.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis. v. Oſculum.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam; ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo, *regalo*, dùm deficiente illò nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur. v. Occaſio proxima.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſq; ad certum tempus. v. Uſura.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquam per decem annos. v. Legatum.

44. Quoad forum conſcientiæ Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ. v. Cenſura.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur. v. Libri pr.

Qui-

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit.

PRædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum, tanquam ſcandaloſam eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à quà non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontificè, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, Dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ut prædictas propoſitiones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Propoſitiones damnatæ à SS. D. N.

INNOCENTIO PAPA XI.

Feria 5. die 2. Martii 1679.

1. NON eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis. v. Opinio.

2. Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. v. Iudex.

3. Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. v. Opinio.

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. v. Infidelis.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret condemnare non audemus. v. Dilectio, & Fides.

6. Probabile eſt nè ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum. Ibidem.

7. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus. Ibidem.

8. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem,

tem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. v. Gula.

9. Opus Conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, & defectu veniali. v. Culpa.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. v. Dilectio.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos. Ibid.

12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam ſi Regibus ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui. v. Eleemoſina.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum. v. Dilectio.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas. Ibidem.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe inebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indè ex hæreditate conſecutas. Ibidem.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe. v. Fides.

17. Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere. Ibidem.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, ut pecca-

mino-

minoſum per ſe non damno. Ibidem.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, qua mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium. Ibidem.

20. Hinc poteſt quis repudiare prudenter aſſenſum, quem habebat ſupernaluralem. Ibidem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia solùm probabili revelationis;imò cum formidine,qua quis formidet,ne non ſit locutus Deus. Ibidem.

22. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris. Ibidem.

23. Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo, ad juſtificationem ſufficit. Ibidem.

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem. v. Iuramentum.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi,ſive res ſit levis,ſive gravis. Ibid.

26. Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit,vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur,nec eſt perjurus. Ibid.

27. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem Corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet allum virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur

tur tunc expediens, & ſtudioſa. Ibid.

28. Qui mediante commendatione, & munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. Ibidem.

29. Urgens metus gravis eſt Cauſa juſtà Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. v. Simulatio.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequeat. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impietam alapam, vel ictum fuſtis fugiat. v. Defenſio

31. Reguláter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei. Ibidem.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus. Ibidem.

33. Licitum eſt tam hæredi, quam Legatario contra injuſtè impedientem, ne hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere; ſicut, & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem. Ibidem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravidà occidatur, aut infametur. v. Abortus.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero eſt carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere cum paritur; ac conſequenter dicendum eſt,

eſt, in nullo abortu homicidium committi. Ib.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi. v. Furtum.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod accipiunt. v. Famulus.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis. v. Furtum.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem ipſius damni illati. v. Reſtitut.

40. Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri. v. Mohatra.

41. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari. v. Uſura.

41. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum. Ibidem.

43. Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam, falſo crimine elidere? v. Crimen Falſum.

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui impoſuit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat, & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. Ibidem.

45.

45. Dare temporale pro Spirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur ſicut pretium, ſed dumtaxat ſicut motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro Spirituali, aut è contra. v. Simoniia.

46. Et id quoque locum habet, etiam ſi temporale ſit principale motivum dandi Spirituale, immò etiam ſi ſit finis ipſius rei Spiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res Spiritualis. Ibidem.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo, vel ſecundò locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertio quando ſit concurſus. v. Beneficium.

48. Tam clarum videtur fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur. v. Fornicatio.

49. Mollities jure naturę prohibita non eſt, unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali. Ibidem.

50. Copula cum Conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, adeoque ſufficit in Confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum. v. Adulterium.

51. Fa-

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras, ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur. v. Famulus.

52. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus. v. Jejunium.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit. v. Miſſa.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem. v. Horæ.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per Sacrilegam Domini manducationem. v. Communio.

56. Frequens Confeſſio, & Comunio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prœdeſtinationis. Ibidem.

57. Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam. v. Attritio.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem. v. Conſuetudo.

59. Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantum Confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ. v. Confeſſio.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem

pec-

peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem. v. Conſuetudo.

61. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit. v. Occaſio prox.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit. Ibidem.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono Spirituali, vel temporali noſtro, vel proximi. Ibidem.

64. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. v. Fides.

65. Sufficit illa Myſteria ſemel crediſſe. Ibidem.

Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus, ac dignitatis, illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ Sententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, niſi à pro-
tem-

tempore exiſtente Romano Pontfice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Propoſitiones Damnatæ à SS. D. N.

ALEXANDRO PAPA VIII.

Feria 5. die 24. Auguſti 1690.

1. BOnitas objectiva conſiſtit in convenientia obiecti cum natura rationali, formalis vero in conformitate actus in regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hinc Homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis. v. Fides.

2. Peccatum philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, aut ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. v. Peccatum.

Qui-

QUibus peractis, Sanctiſſimus omnibus plenè, & maturè conſideratis, primam Theſim, ſeu Propoſitionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis: Secundam Theſim, ſeu Propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet; ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit publicè, ſeu privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quocunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictam Theſim, ſeu Propoſitionem ad praxim deducant.

Pro-

Propoſitiones Damnatæ ab eodem

ALEXANDRO VIII.

Feria 5. die 7. Decembris 1690.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali; & libertate Adami peccantis. v. Peccatum.

2. Tameſi detur ignorantia invincibilis juriſnaturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali. v. Ignorantia.

3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam. v. Opinio.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo; non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus. v. Mors Chriſti.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto auxilium, adeoque hinc rectè inferre in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti. Ibidem.

6. Gratia ſufficiens ſtatuti noſtro, non tàm utilis, quàm pernicioſa eſt, ſicut proindè meritò poſſumus petere, à gratia ſufficienti libera nos Domine. v. Gratia.

7. Omni humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi, ſi Dei, charitas Patris eſt, ſi mundi, concupiſcientia carnis, hoc eſt, mala eſt. v. Actio humana.

8. Neceſſe eſt infidelem in in omni opere peccare. v. Fides.

9. Revera peccat, qui odio habet pecca-

tum mère ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu. v. Attritio.

12. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut Cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens. Ibidem.

11. Omne quod non eſt ex fide ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt. v. Fides.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiam ſi videatur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana. Ibidem.

13. Quiſquis etiam æternę mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties, intuitu licèt beatitudinis operatur. v. Attritio.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis. Ibidem.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis. Ibidem.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante. v. Abſolutio.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus. Ibidem.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiam ſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur uſu, ſed abuſu. ibidem.

19 Ho-

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali. v. Peccatum.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ. v. Confeſſio.

21. Parochiani poſſunt ſuſpicari de mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione; ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis. Ibid.

22. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint. v. Communio.

23. Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers. Ibid.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B.V. Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis. v. Oblatio.

25. Dei Patris Sedentis Simulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare. v Imago.

26. Laus, quæ deffertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt. v. Laus.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; prætermiſſis illis: *Ego te Baptizo.* v. Baptiſmus.

28. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque Baptizandi obſervet, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit: *non intendo facere, quod facit*

cit Eccleſia. Ibidem.

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani Octavi, *In Eminenti*, eſt ſurreptitia.

Quibus maturè conſideratis idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit.

TRiginta, & unam ſupradictas Propoſitiones, tanquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpectivè, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet; ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis, ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtinctè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, nè prædictas Opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

DECRETUM.

Super actu attritionis, quæ Concipitur ex metu Gehennæ excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ.

SAntiſſimus D.N. Alexander. Papa. VII. cum acceperit non ſine gravi animi mærore, Scolaſticos quoſdam acrus, nec abſque fidelium ſcandalo inter ſe contendere, an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento penitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, negantibus aliis, & invicem adverſam Sententiam cenſurantibus. Sanctitas ſua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles ſervari, omnemque ſciſſuræ fomité extingui, auditis votis Eminentiſs.& Reverendiſs. D. D. Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum; necnon D. D. Conſultorum, & Qualificatorum S.Congregationis ejuſdem Generalis Inquiſitionis; Hoc præſenti Decreto in virtute Sanctę obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, huic S.Sedi reſervatæ, aliiſque pœnis ejuſdem S.Sedis arbitro taxandis, præcipit cunctis, & ſingulis fidelibus quocumq; gradu, ac dignitate etiam Epiſcopali, & majori, immò, & Cardinalitia fulgentibus, ut ſi deinceps de materia Attritionis præfatæ ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel

alio

alio quovis modo pœnitentes, aut Sculares, cęteroſque erudientes, non audeant alicujus Theologicæ Cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehenne conceptá, quæ hodie inter ſcholaſticos communior videtur, ſivè aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Statuitque præterea Decretum hoc, ſeu illius exemplum ad ⁻as Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum, omnes ubique exiſtentes arctare, & affigere, ac ſi unicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.

O 2 CON-

CONSTITUTIO.

Sanctiſſimi D. N. Clementis divina providentia Papæ X.

In qua Regularium privilegia quo ad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pænitentiæ adminiſtrationem declarantur.

SUperna, &c. Regulares, qui in Eccleſiis ſui ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Diæceſano benedictionem petere, prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint &c.

Ad hæc Regulares ab Epiſcopo ad Confeſſiones Sæcularium in ſua Diæceſi audiendas approbatos non poſſe in alia Diæceſi eas abſque Epiſcopi Diæceſani approbatione audire, quamvis pænitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerunt approbati, & generaliter ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium Confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere, quo ad hoc, ſpeciali Epiſcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire Confeſſionem Monialium alterius Monaſterii. Itidem Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi, illarum Confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe-

ap-

approbando, quoties caſus deputationis contingit. Cæterum in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos Regulares, quàm Confeſſores Regularium eorumdem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum audire Confeſſiones illorum Sæcularium, qui inibi ſunt vere de familia, & continui Commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt. Illos autem Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporum, certorumque locorum, aut generis perſonarum; in Diæceſi propria admittendos.

Quo ad cæteros verò, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipſos cum limitata facultate, prout ejuſdem ordinariis magis expedire videbitur approbare, & admittere. Semel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diæceſi Epiſcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque, etiam infirmorum Confeſſiones audire, abſque, ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen Confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem infirmorum Parochum illicò Certiorem reddere, & hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pæna ſuſpenſionis à facultate audiendi Confeſſiones præcipi, ſufficere tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum reliquendam.

Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit, *Omnis*

utriuſque ſexus, quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendum. Regulares verò ad ejuſmodi Confeſſiones audiendas prævio examine ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecus autem ſi ab ejus Vicario, aut ab anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit iterum examinari, aut ab eiſdem Confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias ipſis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa quæ ipſas Confeſſiones concernat, de qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet, nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam aperiri poſtulaverit. Porrò ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committãt, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam onorem eſſe volumus, Cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas, utique eam cauſam ad Confeſſionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quominus obſtare, quominus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à Confeſſionibus audiendis. Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius conventus Reguralibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica nullatenus poſſe. Ex facultatibus per *Maremagnum*, aliavè privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, inſtituti, aut ſocietatis etiam Jeſu conceſſis, factam eis non eſſe facultatem abſolvendi in Caſibus

ab Epiſcopo ſibi reſervatis; & per Confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regula à Sede Apoſtolica poſt concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia prius ab eodem Concilio, aut deindè Apoſtolicis etiam decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habeant abſolvendi à Caſibus Epiſcopo reſervatis.

Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere; poſſe autem Regularem Confeſſarium in ea Diæceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diæceſi à peccatis in ipſa reſervatis non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pænitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diæceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe. Vigore Supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte, abſolvere Pœnitentes à Cenſuris, quoad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro pænitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori judicio, & contentioſo Quinimmò Cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciato ab Epiſcopis poſſe gerere ſe pro talibus, etiamſi à Regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolici privilegis coram Epiſcopo, ab eo judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo, agitur, ſi dictorum privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua, non eſſe ad Metropolitanum provocandum, ſed cum ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ judicio,

prout

prout aliàs Conſtitutione Prædeceſſoris felic. recordat. Clementis IV. Statutum fuit, eſſe exequendum. Non obſtantibus quibuſcumque, & etiam inſolitis clauſulis.

Datum Romæ anno 1670. undecimo Kalendas Julii Pontificatus noſtri anno primo.

DECRETUM.

Sacræ Congregationis Cardinalium Sac. Concilii Tridentini interpretum circa Communionem quotidianam.

CUm ad aures SS. D. N. fidedignorum teſtimonio pervenerit in quibuſdam Diæceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis, etiam in Feria ſexta in Paraſceve, & ſimul affirmari, eandem quotidianam Comunionem præceptam eſſe à jure divino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoluiſſe, videlicet, quod aliqui non in Eccleſia, ſed in privatis Oratoriis, & Domi, immo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota ſumant Sacroſanctam Eucariſtiã, quam argentea theca incluſam in Crumena, aut ſecretò illis deferunt Sacerdotes ſæculares, aut Regulares, aliique in Comunione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit S. Congregationi Cardina-

dinalium Conc. Trid. Interpretum, eadem S. Congregatio, prævia matura diſcuſſione ſuper prædictis, unanimi ſententia ita cenſuit; Et ſi frequens, quotidianuſque Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus à SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia approbatus, nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi certos ſingulis Menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Trident. præſcripſit ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sancta ſynodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent:* idque non immeritò, multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus variæ ob negotia ſpiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa, quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſumus, nihil certi de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori; aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui; & propterea quod ad negotiatores ipſos attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu laicis negotiatoribus, & Conjugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. In Conjugatis autem id amplius animadvertant, cum Apoſtolus nolit eos invicem fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos seriò admoneant tantò magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reveren-
tiam

tiá continentiæ vacandum puriorique mente ad Cæleſtium Epularum Communionem eſſe conveniendum . In hoc igitur Paſtorum diligentiâ potiſſimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe , aut Parochos ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet , illudque omninò provideat ut nemo à Sacro Conviviò frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unuſquiſque pro devotionis; & præparationis modo rarius , aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet : Itidem Moniales, quotidie Sacram Communionem petentes, admonendæ erunt , ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent: ſi quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore Spiritus ita incaluerint , ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint , id illis à Superioribus permittatur . Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi , ut cum fideles ad Sanctiſsimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accederint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant eos, qui ad frequentiorem, ſeu quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſivè laici negotiatores ſint, ſivè Conjugati, ſivè quicumque alii ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitatem Sacramenti, ac divini judi-

judicii formidine diſcant cæleſtem Menſam, in qua Chriſtus eſt, reveri, & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſo adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maximè perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentia, & Scandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeatur, quod abunde continget, ſi iis, qui devoto hujuſmodi ſtudio, divina præſtante gratia, tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequentius reficere cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in Cæleſti Regno ſe præmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur.

Porrò Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure divino, doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis ex diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis eſſe ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam in Crumena, aut ſecretò ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto præterquam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non

va .act

valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani, ſi verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti; Curent etiam ut circa Communionem in Feria ſexta Paraſceves Miſſalis Rubricæ, & Romanæ uſus ſerventur. Inſuper admoneant nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas: non permittant, ut venialium Confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, aut Confeſſarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo. Optimo. Max. rationem reddituros eſſe neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas ſua approbavit, ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quor. Datum Romę 13. Frebruarii 1679.

LAUS DEO

Virginique Mariæ ac S. P. Franſcico.

2011076

17